



DR. SAMUEL
X·RADBILL

- p 54 -

MEDICINA SALERNITANA
IDEST
Conſervandæ bonæ valetudinis præcepta,
CUM
ARNOLDI VILLANOVANI
In ſingula Capita exegeſi.
ACCEDUNT
MATTHÆI POLITI
In Salernitana Schola P. P.
NOVISSIMA COMMENTARIA.
TOM. II.



SALERNI, MDCCLXXXIX.
Ex Officina Ferdinandi Campi
Superioribus annuentibus.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. VINCENTIO

PIGNATELLI DE ARAGONA

EX PRINCIPIBUS STRONGYLI, REGIIS AGMINIBUS PRAEFECTO, AC IN PROVINCIA PRINCIPATUS CITRA, PEDITUM, EQUITUMQUE MAGISTRO, EJUSDEM PROVINCIAE PRAESIDI, AC SUPREMO MODERATORI

MATTHÆUS POLITI.

HOC, *Salernitanæ Civitatis, vetustissimum, numquam satis æstimabile Monumentum, tot sæculorum lapsu tenebris involutum, ita literariæ, ac Medicæ*

Rei publicæ delituit, ut boni Cives non ſolum; ſed exteræ pariter Nationes; miſerrimum ejus Fatum quotidie lugerent; ut igitur omnium votis ſatisfacerem; illud omni cura, & diligentia, erutum, aliquibus Commentariis, meo quidem maximo cum labore, jam adjectis; ut boni Civis officium gererem, pro modulo, iterum in lucem revocare conatus ſum. Quod cum vix in mentem mihi venit; ſtatim, hos meos; quicumque ſint labores, huic Salernitano Hippocratico Collegio, in quo antiquiſſimæ Scholæ Honor; Decus, & Memoria viget adhuc, ex integro; ſano conſilio dicandum putavi. Verum quia Opus hoc, honoris; ac Patrocinii ergo, dignum Mæcenatem requirit, qui omni tempore, ab in-

vidis, malevolis, qui forte non deerunt, omnibusque adversis, auctoritate, consilio, vel fortasse etiam Nomine, tueri potuerit. Ideo cum jam sub Prælo Tomus secundus esset, mox in lucem proditurus, multa mecum ipse cogitans, atque evolvens, nulli alii, quam Tibi, Vir amplissime, suprema non minus Auctoritate munito, quam gentilitio splendore, Generis Antiquitate, Morum Rectitudine, Integritate, Religione, Christiana Pietate, omnibusque animi Dotibus, ac Virtutibus perbelle ornato, addicere arbitratus sum. Tibi ergo, Opus hoc commendo, tuoque fido Tutamini committo, ratus, humillimis votis meis Animi Tui Celsitudinem responsuram, Tu enim Magnaminitate, Justitia, Comitate, to-

to fere Orbi notissimus, spem meam inanem dimittere non sines. Quæ omnia Augustissimus Rex noster, quem Deus Opt. Max. sospitet semper, aç tuetur, æquo animo perpendens, supremam Potestatem suam, necnon Provinciæ hujus Moderamen, tibi committere non est dedignatus. Quapropter Tuæ Benevolentiæ, ac humantitati confisus, humiliter deprecor, ut grato animo, hoc qualecumque sit, Opus excipias, acceptumque, a cunctis injuriis defendas. Vale.



ZACHA-

ZACHARIÆ SYLVII,

MEDICI ROTERODAMENSIS

In Salernitanam Scholam, de laude Sanitatis

PROLOCUTIO

Quæ singulariter perstat in Editione ejusdem Scholæ Hagæ-Comitum 1683. *ex Officina* Arnoldi Leer.

§. I.

QUotiescumque arcana illa *Naturæ* in homine extra hominem, in toto hoc Universo, impensius apud me volvo, non possum non admirari, Medicæque facultatis dignitatem, usum, necessitatem: Etenim, si dare vitam, proprium munus Dei est; certe datam tueri, & jam oppressam, penè restaurare, aut fugientem retinere, quod Medicorum est, Deo proximum fateamur oportet, & si quicquam certè in Medico

locum habere Græcum illud Ἄνθρωπος, ἀνθρώπου δαιμόνιον, Homò, homini Deus: Neque enim, corporis tantum, quae vilior hominis pars est, curam gerit, sed & animi; immo, & Animæ: Quæ quia in hoc corporis tugurio, labem sæpe trahit a situ, non alia certior, atque efficacior, ejus curandæ ratio, quam si corporis morbis occurratur tempestive. Qui, ut animæ vigorem, non raro, aut impediat, aut etiam extinguat; ita iis liberata, alisque fidei subnixa, ad Cœlum tamquam ad originis suæ sedem, libero volatu contendit. Accedit, quod, quidquid in homine eximium est, Artes, Scientiæ, Disciplinæ, quidquid in eo virtutis, aut eruditionis, id omne, nobili huic facultati nos debere, quis non videt? quatenus id servat, sine quo, ne reliqua quidem queant consistere. Quid enim hæc vita, si perpetuis conflictetur morbis? Certè vivere dici non possunt, qui mortuam, hic vitam trahant.

Detracta Sanitate, quid potest in hac vita esse gratum, & jucundum? *vivere non est; sed valere vita*: Sed fingi-

te, si placet, Creso, non Cyri, sed morbi tyrannide oppresso, Deum, sanitatis, aut opulentiæ liberam dedisse optionem, cui dubium est, eum bona fortunæ, cum summo corporis bono, facile permutaturum? Non mirum est igitur, si Majores nostri, in publicis conviviis decantarent: *O sanitas, tu hominibus, maximum bonum!*

Græci respicientes magna dona, & dignitatem sanitatis, posuerunt eam in numero Dearum, atque unus eorum nomine Critias, eam esse dicebat, acceptissimam hominibus, inter Deos; In Sicaonia olim, simulacrum sanitatis, magno afficiebatur honore, ubi fœminæ, capillos suos dissecabant, & huic Deæ offerebant. Comperimus etiam e scriptis Græcorum, quod in suis conviviis, post manuum lotionem, continuo sibi mutuo, haustum sanitatis propinarent, quos insigniter imitamur magno scypho, quem idcircò *sanitatem*, sive *santè* nominamus, in alterius sanitatem, & sæpius in nostram insalubritatem ebibimus. Alii inter Ethnicos, quamvis sanitatem, non adoraverint pro Dea;

tamen ejus dignitatem, & necessitatem, satis significavere. Cum Pyrrhus magnus Epiri Rex, Diis sacrificaret, non solebat petere, plura regna, victoriam super inimicis, honorem, pecuniam, divitias, aliaque, quibus fere inhiant mortales; sed sanitatem solummodo petebat, ac si, ea parta; cætera quidem essent secutura: Regi Antiocho, cum adversus Galatas cum exercitu tenderet, videbatur Alexander in somno adesse, ac monere, ut ante prælium cum Hoste, sanitatem pro simbolo daret: quod secutus, magnam victoriam, super hostibus, consecutus est. Sapiens Philosophus Pythagoras, non solebat aliis salutationibus, in Epistolis suis ad Amicos uti, nisi *Vale*: Quod etiam postea Discipuli ejus secuti sunt, utpotè quo, animo, & corpori nihil præstantius, & in quo, omnis nostra salus temporaria sita est: Immò signum, quo inter sese utebantur, nominabant Hygieia, idest sanitatem, & tribus circulis inter se nexis, id exprimebant, & certè sine sanitate nusquam perfectum gaudium esse poterit.

Nam etiamsi fortuna, è pleno sinu omnia sua dona liberaliter in nos effunderet, ac sola sanitas deesset, a reliquis, nullus usus verus, nec delectatio ulla procederet. Quomodo delectabit aliquem, Mensa plena deliciarum, qui laborat infirmo, & fastidienti stomaco? Quid juvant decumbenti, Arcæ divitiarum plenæ? optimè canit Poeta Horatius:

Sincerum est, nisi Vas, quodcumque infundis, acescit
Quo mihi fortunas, si non conceditur usus
. . . . Valeat possessor oportet
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

In prætio igitur habeamus sanitatem, ac serio cogitemus, nos nihil in Orbe prætiosius possidere, hoc occulto Thesauro, ejusque doctrina: Hæc enim una, ut ait Hippocrates, ab ortu primo, ægra corpora, parte doloris lævat, & festinantia ad mortem, salubri victus lege, remoratur: Hæc Galenum ab incunabulis, valetudinis vitio laborantem, ad longam senectutem, absque ullo corporis tædio transmisit;

Eadem ars, ſalutari victus ratione, Socratem a peſte, quæ frequenter Athenas depopulabatur, immunem, & illæſum ſervavit. Hac arte *Salvator mundi* ipſe, Diſcipulorum ſuorum omnium, & auctor, & Princeps, uſus eſt, Medicum ſe profeſſus, dum de ſe loquens, negat opus eſſe Medico, iis, qui benè ſe habeant, dum ſputum, terræ mixtum illinit oculis cæci: Quid? quod idem, hac potiſſimum commendatione, cum adhuc Orbi eſſet ignotus, ſe paulatim in Animos, atque affectum hominum inſinuavit: *Paulus* ille Magnus dum *Timothœo* ſuo, modicum Vini praeſcribit uſum, ad fulciendam ſtomachi imbecillitatem, nonne palam Medici partibus utitur? Sed quid mirum in Apoſtolo, cum *Raphael* Angelus, *Tobiœ* caecitati medicans, hinc nomen etiam invenerit apud arcanarum rerum ſtudioſos? O cœleſtem, verèque ſacram diſciplinam, cujus cognomento, divinae illae mentes inſigniuntur. Inter mortales, alii alias artes, vel diſcunt, vel profitentur, hanc unam oportebat ab omnibus diſci, quae nulli, non eſt neceſſaria: Siqui-

dem sine sanitate, nemo officium benè fecerit: Itaque praecepta ejus, magni faciamus, ac servemus: Sic enim certam vitae rationem sequentibus, pericula, & aegritudines minus accident: Galenus lib. 5. de sanitate tuenda gloriatur se iis, qui prius assiduis premebantur morbis, ea sanitatis praecepta tradidisse; quibus cum paruissent, prorsus morbi expertes multis annis permanserunt: addit praeterea, se quidem ex lassitudine, aliquando febricitasse; sed nullum praeterea morbum per multos annos expertum: ,, Quin ,, etiam, *inquit*, percussus certis corpo- ,, ris partibus, unde alii, phlegmonis, ,, Bubonibusque contractis, febricitarent, ,, ipse numquam phlegmonem, bu- ,, bonemve sensi, nec febre laboravi, ,, non aliunde certe, quam ex servan- ,, dae sanitatis arte, tanta commoda ,, consecutus ,, Sapienter Aristot. probl. 38. sect. 19. observavit: Nos cum ordinate, & laboramus, & edimus, Naturam, viresque nostras, servare, & augere; contra vero inordinatè cum agimus, depravare Naturam, atque de suo statu

dimovere. Quos autem cruciatus, & morbos inducat, praepoſtera victus ratio, copioſe ſimul, & eleganter expreſſit moralis Sapientiæ Coripheus Seneca Ep. 95. quam legere non pigeat. Senecæ veſtigia premens Horatius lib. 2. ſerm. Sat. 2. cecinit:

Accipe nunc victus tenuis, quæ, quantaque, ſecum
Afferat, in primis valeas benè; nam variæ res,
Ut noceant homini credas, memor illius eſcæ
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul Conchylia Turdis
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomacoque tumultum
Lenta feret pituita . . . . .

Vis Medicinæ fructus, confirmari aliquot exemplis, eorum qui ſanè vixerunt, & diu? Dabo. Pollio Romulus, ſenex ille, Auguſti hoſpes, apud Plinium lib. 22. cap. 24. epit. 24. centeſimum Annum excedens, cum ab Imperatore interrogaretur, quanam maxime ratione, vigorem illum, Animi,

corporisque custodisset, respondit, intus mulso, foris Oleo: Marcus Cato professus est, se, & conjugem, Medicinæ beneficio, usque ad longam senectutem perduxisse: Cyrus apud Xenofontem, eo sermone, quem moriens habuit admodum senex, negavit, se unquam sensisse senectutem suam, imbecilliorem factam, quam Adolescentia fuisset. Lucius vero Marcellus post Consolatum, Pont. Max. ita bonis viribus, extremæ ætatis tempore fuisse narratur, ut adolescentiam, non requireret: Senectus Georgiæ Leontini, produci in adagium solet, de optima, nec annis exoluta; cum vero, ab eo quæreretur, quomodo annum tetigisset octavum supra centesimum, respondisse dicitur, quod voluptatis causa, nil sibi unquam permisisset, facere. Herodicus Medicus, teste Platone, omnium infirmissimus sui temporis, artis Medicæ opera, fermè centesimum annum implevit. Joannes, de temporibus apud Fulgosium, 240 annos vixisse narratur. Plutarchus notavit, multos, corpore alioqui parum firmo, vitam, sola dili.

gentia, longam consecutos; sed paucula hæc exempla, ex magno, & pleno Acervo, depromsisse sufficiat.

Superest, ut videamus, a quibus præcipuè ars Medica fuerit culta. Ars hæc, paucorum olim hominum fuit, & teste Diodoro Siculo, certarum familiarum; scribit enim lib. 1. nemini licuisse apud Ægyptios, ullum in Republica munus aliud, vel artem profiteri, nisi a legibus definita, & a Parentibus, quasi per manus, tradita fuisset. Sic Asclepiadarum familia, Medicorum fuit, sic propagata hæc loquendi forma ἰάτρων παῖδες, Medicorum filii, pro ipsis Medicis: Tunc temporis Medicorum penuria: at ubi Ars comunicata fuit, & caepit cibus, non ad tollendam; sed ad irritandam famem quæri, & inventæ sunt mille conditurae, quibus aviditas excitaretur, in hunc multiplicem, Medicorum, quem videmus, numerus crevit.

In ortu Academiæ Salernitanæ parcior erat Medicorum numerus, ac proinde hæc præcepta concinnata sunt ab ea, ut si forte Princeps Robertus, Comi-

tem Medicum, perpetuum non haberet, cujus consilio uteretur, in illis præceptis designata, sedulò observaret, ad sanitatem conservandam. Tuta vero, ac secura, sunt nostra sæcula, a paucitate Medicorum, tum propter Academias Medicas, quæ nullo examine severo, nullo specimine præmisso, ad Lauream Doctoralem, quosvis ignaros admittunt, tum propter Magistratuum indulgentiam, qui circulatores, Agyrtas Medicam Artem profitentes, suis Civitatibus, non expellunt; sed grassari sinunt, in publicam Civium perniciem; adeout nostra ætate, Pliniana interpretatio, nimium quam verissima est: *Itaque me-Hercule*, inquit, *in hac artium sola evenit, ut cuicumque, Medicum se professo, statim credatur, cum sit periculum, in nullo mendacio majus. Nulla praeterea Lex, quae puniat inscitiam capitalem; nullum exemplum vindictae: discunt, periculis Civium, & experimenta per mortes agunt*. Sed in viam redeamus ad Scholam nostram Salernitanam.

§. II.

De antiquitate, & dignitate Scholae Salernitanae.

Nullus Medicorum est, qui carmina Scholæ Salernitanæ ore non circumferat, & omni occasione non crepet: Hactenus tamen nemo est, qui nobis incunabula tradiderit, & quo tempore, tam egregium, opus, compositum, & editum, exposuerit: Nullus nobis primordia, *Scholæ Salernitanæ*, progressus, & incrementa designavit, vel eorum Medicorum nomina collegit, quorum virtute, & industria, Schola tam celebris inclaruit. Ne ipse quidem *Arnoldus Villanovanus* operis Salernitani, vindex, & illustrator, quicquam de dignitate hujus Academiæ, aut origine, monumentis tradidit, quod tamen ejus fuit officium, in illa præsertim opportunitate, qua fruebatur apud eum Regem, qui Salernitanis imperabat.

Salernum, Picentinorum Civitas, in sinu maris Tyrrheni posita ad Ostium

fluminis Silari, vel a Salis, vel ab ipso flumine Silaro denominata est: Vetus illud, a Romanis in Picentes, & Lucanos, qui societatem cum Hannibale inierant munitum, a tenui principio sensim crevit, non magis loci opportunitate, quam soli fœcunditate: fluminis, marisque vicinia, aeris bonitas, & salubritas, incolas allexit: retinuit, vini nigri, fructuumque omnium præstantia, quorum, tractus est ferax: *In tutta Italia, non esser più delizio, sa Città di Salerno*, ajebat Antonius Summonte, Histor. Neapolit. scriptor eximius: Hujus vero Urbis incrementum cœpit maximè anno Christi 974. Tunc per Bonifacium VII. Pontificem Maximum, *R*egionis totius Metropolis constituta est: in illa quidem florebant eo tempore Medicinæ studia, sed nondum Regum, & Principum decretis, fundata erat Academia: Monachi Cassinensis Monasterii, & præsertim Constantinus monachus, qui opera sua Medica, Abbati Desiderio, circa annum Christi 1060. dedicavit, Medicinæ rudimenta in ea Civitate, cui

proximus est mons Cassinensis, posuerunt; sed nomine Academiæ non fuit donata.

Rogerius Rex primus, Siciliæ, & Salerni Princeps, cum annum Christi 1100., nonnullas Leges sanxisset, decimam octavam tulit, *de probabili experientia Medicorum*: qua cavebatur, ne quis Medicinam exerceret, nisi prius a Magistratibus, & Judicibus probatus: qui fecisset secus, bonis omnibus spoliaretur: Quam legem annis sequentibus, scilicet anno 1150. Fridericus Ænobarbus Rom. Imp. occupato Regno Neapolitano, amplificavit, atque confirmavit, prohibuitque „ *Ne quis, ad faciendam Medicinam admitteretur, nisi a Medicis Collegii Salerni, aut Neapolitani probatus, ac consecutus esset potestatem medendi, quam, licentiam vocant, sub pœna carceris annui, & proscriptionis omnium fortunarum*. Quibus quidem privilegiis, & honoribus gaudens *Salernitana Schola*, in Academiam, tum demum erecta est, ob studia præsertim Medicinæ, quæ in ea vigebant plurimum. Quod Academiam Salernitanam,

maximè commendavit, & ejus gloriam transmisit posteris, opus est illud, *de Conservanda Valetudine*, Roberto Duci Normanniæ, & Regni Anglicani hæredi consecratum, tum propter dignitatem ejus Principis, cui inscriptum est, tum propter utilitatem operis, & insolitum scribendi genus, utile simul, & jucundum.

§. III.

De Auctore Carminum Scholae Salernitanae, *operis titulo, dedicatione, evulgatione, ratione Rhythmorum, & qua de causa* Schola Salernitana *Rhythmis praecepta sua consignaverit.*

Joannes Georgius Schenckius, in Bibliotheca Medica, notat Arnoldum Villanovanum, Opus Poeticum de *conservanda bona Valetudine*, commentariis suis enarravisse, & nomine Scholae totius Salernitanae, vero nomine dissi-

mulato, inscripsisse: Auctorem vero libri facit *Joannem de Mediolano*, Medicum, & versificatorem insignem suo tempore, qui *Universum Medicinae florem, unanimi Scholae Salernitanae adprobatione ad Anglorum Regem, versibus conscripsit*. Consilium, quo, nomine totius Scholae, librum Villanovanus evulgaverit, hoc fuisse, credibile est. Agebat apud Fridericum, Aragoniae, Siciliae, Neapolis Regem, qui tunc in Sicilia, Apulia, & Calabria, commorabatur: quibus in locis, celeberrimum erat Academiae Salernitanae nomen, & ejus praecepta de *conservanda Valetudine*, apud Populares omnes, momenti maximi.

Gallia, & Italia profugus Villanovanus, ut nonnullam benevolentiam, atque gratiam, sibi apud Regem, & eam gentem conciliaret, quam, jampridem prædictionibus astrologicis decoxerat, non opus modo proprium de *conservanda sanitate*, Regi Friderico dicavit, sed hoc alterum, magnae, propter Scholae Salernitanae, dignitatem auctoritatis, notis suis illustravit, tam, ut strictu-

ram

ram doctrinae ſuae, & ſpecimen aliquod exhiberet, quam, ne videretur hoſpes, & advena, aliam a *Schola Salernitana*, hoc eſt, ab uſu communi, & recepto, doctrinam, medendique rationem obtinere: Totum vero opus Scholæ tribuit, non Joanni de Mediolano, quia Scholae nomine, apud populares circumferebatur, & Regi Angliæ, nomine totius Scholæ, quam conſuluerat, oblatam fuiſſe, primus hic Scholæ verſiculus deſignabat:

Anglorum Regi ſcribit Schola tota Salerni

Quod quidem ut dilucidius evadat, realtius repetenda eſt, & quonam potuerit eſſe, Anglorum, cum Salernitanis commercium, atque conjunctio, explicandum.

Ex Chronici Caſſinenſis cap. 38. lib. 2. obſervatum habemus, quadraginta Equites Nortmannos, Hyeroſolima, ubi ſepulcrum Chriſti adoraverant, redeuntes, Salernum appuliſſe. Quo tempore, a Saracenis, Guimarus Salerni Princeps, admodum urgeretur, impetratis a Principe copiis, Nortmanni Equites,

Christianæ fidei amore succensi, sic se opposuere barbaris, ut in fugam verterint, & in Siciliam usque expulserint, quò facinore, accepti humanissime a Salernitanis fuerunt, ac præterea invitati multis præmiis a Principe, ut in ea Civitate commorarentur, quod cum non impetrasset Guimarus, nec ullis propositis muneribus, ac dignitatibus retinuisset, Legatos in Nortmanniam misit, qui precibus, & variis muneribus, maximèque fœlicitate soli, omnium rerum færacis, tercentos Northmannos, & inter eos Nobilissimos Princeps, ac generosissimos, Salernum allexere: Huic Nortmannorum Coloniæ, res in Apulia, et Calabria, tam fœliciter successere contra Mauritanos, ut anno 1032 *Aversam* Oppidum condiderint. *Salernum* deinde anno 1074 occupaverint, Regnum deinde *Neapolitanum*, atque *Siculum* instituerint: eo ipso, ferme tempore, quo, Duce Guilielmo Notho, è Gallia Nortmanni, in Angliam irruerunt, et in suam potestatem reduxerunt, anno circiter 1070.

Quibus quidem ita breviter explicatis

minime obſcurum eſt, vel intellectu difficile, quomodo commercium, et amicitiæ inter Anglos, et Salernitanos, per Nortmannorum Colonias, et irruptiones intercelſerint, licet nondum perſpectum ſit, et manifeſtum, *quis ex Regibus Angliæ, Scholam Salernitanam* de valetudine conſuluerit.

Guglielmus Nothus Nortmanniæ Dux Regnum Anglicanum adeptus, tres filios hæredes reliquit, *Guilielmum Ruffum*, *Robertum*, et *Henricum*, *Guilielmo Ruffo*, Angliæ Regnum ceſſit, in quo obiit ſine liberis, ipſo tempore, quo Godefridus Bullonius Hyeroſolimorum Regnum occupavit: Secutus erat Bullonium, in bello ſacro *Robertus* primogenitus Guilielmi Nothi, Nortmanniæ Dux a Patre conſtitutus, totaque Hyeme anni 1096 in Apulia, apud Conſanguineos, Apuliæ, et Calabriæ, Principes commoratus, quouſque ſequenti Vere, ſe Mari committeret, et in Paleſtinam trajiceret: Capta tandem Hyeroſolima, Regnum illud oblatum Roberto Nortmanniæ Duci, auctor Chronici Nortmannorum obſervat, recuſatum.

que ab eo fuisse, quod illi nuntiatum esset obiisse, Fratrem Guilhelmum Ruffum, cujus proximus erat Hæres. Itaque velut designatus *Angliæ Rex*, trajecit e *Palestina* in Apuliam ad Cognatos, consuluitque Scholam Salernitanam de vulnere in brachio dextro accepto in obsidione Hyerosolimitana, quod in fistulam degeneraverat: Scribit enim laudatus Auctor Chronici Nortmannorum: Quod vulnus illud, inflictum fuisset telo venenato, et in fistulam abiisset, quam curari posse Medici, negabant, nisi frequenti oris suctu. Nolebat vero pius, et optimus Princeps, suggendam fistulam alicui committere, ne quemquam, ob venenum, in vitæ periculum vocaret. Ejus nihilominus Uxor, novo amoris exemplo excitata, dicitur, Marito dormiente frequenter fistulam suxisse, et obduxisse, sine ullo saluti discrimine: Itaque, postquam Rex, Medicos *Scholæ Salernitanæ* de *fistula* consuluisset, victus rationem præscripserunt, cui de Fistula Caput adjunxerunt; sic in regimine sanitatis, Friderico Arragonum Regi

a *Villanovano* praefcripta, Hemorroidum curatio inftituta eft, quod Rex, eo fluxu tentaretur.

Obfervandum hic, quod opus, Regi Angliae nuncupaverint, non Duci Nortmaniae, qui nunquam Rex Angliae fuit: Siquidem Robertus ille, redierat, ut fupra diximus e Paleftina, velut Rex proximè futurus Angliae, quae illi, tanquam legitimo, et proximo haeredi debebatur; fed ejus frater minimus Henricus, quod moriente Guilielmo Ruffo fratre, effet in Anglia, arrepta occafione, ob abfentiam *Roberti* fratris, in Paleftina degentis, Imperium occupavit, fuperavitque poftea *Robertum*, qui magno cum Exercitu ad Regnum recuperandum in Angliam trajecerat.

Haec fuit confcribendi hujus libri occafio, hic ille Dux, cui liber infcriptus: *Tempus*, quo evulgatus, anno videlicet circiter 1100.: Auctor libri: *Joannes de Mediolano* Salernitanus Medicus, infcriptor *totum Collegium Salernitanum*; cujus nomine editus eft, non alicujus medici particularis, quem-

admodum hodie videmus Philosophorum Opus, a Collegio Conimbricensi emissum. Titulus Operis si Arnoldo Villanovano, et recentioribus editionibus credimus: *Medicina Salernitana*, seu de *conservanda bona Valetudine*: si Veteribus Editionibus *Regimen Sanitatis Salerni*, si manuscriptis Codicibus *Flos Medicinæ*, sic in calce omnium manuscriptorum exemplarium, et Codicum primae editionis, versus hic apponitur, libri titulum circumferens.

Hoc opus optatur, quod flos Medicinæ vocatur

Numerus capitum, et versuum, incertus, Codex Schenchinus 1239. versus complectitur: Vulgatus 372. Naudianus 183. Tullovianus 1096. M. S. quod in Bibliotheca Moreauviana adservatur 664. Notandum vero in calce Tulloviani Codicis, Titulum operis, Auctorem & inscriptorem contineri: Hæc enim verba illic leguntur: *Explicit Tractatus, qui dicitur*, Flores Medicinæ, *compilatus in studio Salerni à* Mag. Joanne de Mediolano, *instituti Medicinalis Doctore egregio, compilationi cujus, concordarunt omnes Magistri illius studii*:

Porro typis mandatus est Liber, vel conjunctim cum operibus Villanovani, vel separatim, in Italia, Romae, Florentiæ, Venetiis, Germania, Francofurti, Basileae, in Gallia, Parisiis, Lugduni, Monspessuli, Genevae, & aliis in locis passim, modo sine notis, alias cum solius Arnoldi Villanovani commentariis, frequentissime, cum enarrationibus Ioanni Curionis, et Iacobi Crellii

Ratio, qua adducti fuerunt Medici Salernitani ad præcepta sua carminibus Rhythmicis consignanda: videtur fuisse consideratio Principis, cui librum adornabant. Is autem erat Nortmannus, at apud Nortmannos, genus hoc carminis tritum, familiare jucundum; nihil penitus apud eos, æterna memoria dignum consignabatur, nisi eo carmine: Primi eorum Ducis Rollonis Epitaphium, hujus est compositionis

Dux Nortmannorum, cunctorum norma bonorum
Rollo, ferus, fortis, quem Gens Nortmannica mortis
Invocat articulo, hoc jacet in tumulo.
Ipsi provideat, tua sic clementia Christe

Ut semper videat, cum cœtibus Anglicis te
Filius, atque Dei propitietur ei.

§ IV.
De Carmine Leonino.

Ut, quo in genere, Rhythmicorum verſuum, Salernitani fuerint, facilius intelligatur, de Carmine Leonino breviter agemus, ne rem curioſam magis, quam utilem, & neceſſariam, rei Medicæ deſcribere videamur. Carmen igitur Leoninum, alii dictum volunt a *Leonio*, ſeu *Leonino* quodam Sancti Benedicti, Canonico Pariſienſi, & Monaſterio S. Victoris Religioſo, qui eorum quidem, non fuit Auctor; ſed eximius, & inſignis artifex: Sunt qui a Leone dictum velint, quaſi excelſum, & inter cæteros verſus, primarium, ac veluti regium, vel quia Leonis inſtar, caudatum. Origo ejus, vetus, & incerta; Jucundior autem erit, differentiæ carminis Leonini inveſtigatio, cum a nemine * exactè tradita ſit: Sunt ergo

* *Extat locupletior hujus rei tractatio in edit. Lut. Pariſ. ann.* 1672 *a Renato Morceau apud Lud. Billaine.*

verſus Rhythmici, artificiales, vel inartificiales: Artificiales, ſunt conſonantes, vel concordantes: Illi in ſolo Rhythmo conſiſtunt, hi voces habent, aut Rhythmos comunes, duobus, aut pluribus verſibus:

Conſonantium ſpecies variæ ſunt: Alias venter caudæ reſpondet, ſpectaturque hujuſmodi Rhythmus, in uno, & ſolitario verſu, quemadmodum videre eſt in hoc Epitaphio Ducis Siceleæ: qui obiit anno 1101.

Linquens terrenas, migravit Dux, ad amœnas
Rogerius ſedes, nam Cœli detinet Ædes

& iſtud

Funde Vinum, funde, tam quam ſint fluminis undæ
Nec quæras unde; ſed fundas ſemper abunde

Eadem ratio ſervatur in hoc tetraſtico in ludum Scaccorum compoſito

Ludus Scaccorum, datur hic, correctio morum,
Non tantum morum regimen, ſed, & officiorum
Miles Regalis, & corrigitur popularis
Si ludi luſum, morum vertamus ad uſum

Alias Caput ventri, & caudæ conſonat; ut in hoc diſticho, trito, & vulgari

O Valachi, veſtri ſtomachi, ſunt amphora Bacchi
Vos eſtis, Deus eſt teſtis, teterrima peſtis

Alias Caput ventri reſpondet; ſed requirit alium verſum ſequentem, cujus

cauda, ſuæ caudæ reſpondeat, ut Theodorus, de contemptu mundi

Pauper amabilis, & venerabilis eſt Benedictus
Dives inutilis, inſatiabilis, eſt maledictus &c.

& hoc aliud

Foemina dira viri nex eſt, & terribilis lis
Exercet Mentes fraternas, grata malis lis

Hactenus de conſonantibus; ſequuntur concordantes verſus, qui voces habent, vel Rhythmos comunes; duobus, vel pluribus; hujus generis ſunt, cum uni ventri ab uno principio enato, plures caudæ concordant; ut in hoc exemplo

Dum manducatis {
vultus hilares habe-
ſal cultello capi-
quid edendum ſit, ne pet-
non depoſitum capi-
rixas, murmur fugi-
membra recte ſede-
Mappam mundam tene-
ne ſcalptatis cave-
nullis partem tribu-
morſus non rejici-
modicum, ſed crebro bib-
Grates Chriſto refer-
} *atis*

His verſibus affines, ſunt ſequentes ex Theodoro de contemptu Mundi

in re terrena {
Nihil aliud eſt, niſi pæ-
Labor eminet, atque cate-
Nec Lex, nec juris habe-
} *na*

Eſt, & genus, ubi voces, & Rhythmi duobus verſibus ſunt comunes, ut in hoc diſtico.

Et Canis in Sylvis; venatur, & omnia luſtrat,
Et Lupus in Sylvis nutritur, & omnia vaſtat.

Hujus ſpecies etiam eſt, ubi omnes ſillabæ, & Rhythmi, duobus ubique verſibus communes concordant; ut in hoc diſticho.

Quos anguis dirus; triſti mulcedine pavit
Hos ſanguis mirus Chriſti, dulcedine lavit.

De verſibus Rhythmicis artificialibus actum: ſequuntur inartificiales; qui nullis pedibus adſtringuntur; ſed in ſolo ſillabarum numero, atque Rhythmo conſiſtunt. Hoc artificio, pleroſque habemus compoſitos himnos Eccleſiaſticos; in quibus pia; & ſeria tractantur; verum; ferè ad nugas, & jocos detorquentur, ut in ſubjectis exemplis videre eſt

Meum eſt propoſitum in Taberna mori;
Et vinum apponere, ſitienti ori
Ut dicant, cum venerint, Ebriorum chori
Baccus ſit propitius; huic potatori.

Extat, & luſus, ubi poſt tres pedes, nullo pede ligatos, quartus ſubjicitur pedibus adſtrictus

Heliconis rivulo modicè conspersus
Vereor ne, pondere sim verborum mersus,
Sed quia, jam labitur Mundus Universus
Incipe Mœnalios mecum, mea tibia versus.
Rhytbmis dum lascivio, versus dum propino
Rodet, forsan aliquis dente me Canino,
Quia nec afflatus sum spiritu divino,
Neque labra, prolui fonte Caballino.

V.

De Materia Scholæ Salernitanæ

Res quæ hoc libro continentur, sunt sex res naturales, sive quibus tota, Hygiene, sanitatis doctrina comprehenditur; ea vero sex rebus constituitur, Aere ambiente, cibo, et potu, motu, et quiete, somno, et vigilia, excretis, et retentis, ac denique Animi pathematis: Quae omnia prout metri licentia permisit, satis dilucide, recensentur hoc exordio.

Anglorum Regi scribit Schola tota Salerni;
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum
Parce mero, cœnato parum, non sit tibi vanum
Sugere post Epulas, somnum fuge meridianum
Nec mictum retine, nec comprime fortiter Anum
Curas tolle graves, irasci crede profanum;
Hæc bene si serves, tu longo tempore vives.

his enim verbis *Parce mero, cœnato parum* designatur moderatio cibi: et potus, et aeris, qui nomine cibi comprehenditur: Est enim Hippoc. et Galeno testibus, triplex alimentum, Spirituosum, sive aereum, humidum, et solidum: *Principium*, inquit Hippocr. lib. de alim. art. 7. *alimenti spiritus, Nares, Os, gustus, Pulmo, & reliqua perspiratio. Alimenti, tum humidi, tum sicci principium, Os, Gula, Venter: Verum antiquius, & primordiale alimentum, per abdomen Umbilicus.* Hanc Hippocratis sententiam, amplexus est Galenus lib. de utilit. respirationis, ubi διαπνοὴν, seu perspirationem, usum duplicem præbere refert, maximum quidem, ut caloris nativi Symmetriam conservet; minorem verò ut spiritum animalem nutriat. Ut ergo cœnæ nomine, quævis edendi occasio intelligi debet, sic, & quodvis edulii genus, sive sit potulentum, sive esculentum, sive spirituosum, quod vocatur Aer.

Istis vero *Non sit tibi vanum, surgere post epulas*, motus, seu exercita-

tio, & apposita quies significatur; sequentibus autem: *Somnum fuge meridianum*, somnus, & vigilia.

Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum, excreta, & retenta: *Curas tolle graves, irasci crede profanum*, animi affectus, quos Græci παθήματα vocant, insinuantur.

Cæterum, hunc senarium numerum rerum, non naturalium [quæ sic dicuntur, quod non constituant naturam nostri corporis, ut septem res naturales: Elementa, temperamenta, humores, partes, facultates, functiones, & spiritus] non inepte quidam colligunt ex numero facultatum nostri corporis, quorum singulis, duas assignant: Naturali, cibum, & potum, atque excrementorum evacuationem. Vitali, aerem, & animi perturbationes; Animali denique, motum, & quietem, somnum, & vigiliam.

At Galenus, methodi, & ordinis artifex, eas ad quatuor capita revocavit lib. 1. de sanit. tuend., videl. ad assumenda, admovenda, facienda, & educenda

Assumuntur: Cibus, & potus

Admoventur :	Aer ambiens
Fiunt :	Exercitationes, ſomni, vigiliæ, perturbationes
Educuntur :	Excrementa.

ZACHARIÆ
SYLVII,
CONSOLATIO AD MANES
JOANNIS DE MEDIOLANO
Scholæ Salernitanæ Auctoris

NOn operæ periere tuæ, labor iſte peribit
Numquam : poſteritas, non tua ſcripta negat.
Hactenus incerti placuerunt carmina multis ;
At tua, quæ poſthæc, fama vigebit, erit

HENRICUS SPINÆUS

BERCHENSIS

Candido Lectori Salutem.

Quod male curarent Homines, languentia membra,
Viderat ex alto pulcher Apollo loco
Tertius exclamat, quæ morbi quæritis ægri
Pharmaca Mortales? quæ Medicina dari?
Tenditis in mortem, tali ratione medendi
Corruit, & labens, non reparatur Opus.
Restitui in melius si vultis, corpora læsa,
Vivendique frui, commodiore Via:
Huic operi, vigiles oculos, imponite claro,
Volvite tam doctum, tempus in omne librum
Discitis hinc, certas, Medicandi saucia, Leges
Integra, quoquo modo, sit retinenda salus:
Præstitit hoc, artis Medicæ, Curio Doctor
Curio Apollinei, gloria Magna Chori
Extendi vitam, qui longum vultis in ævum,
Curio, Tithoni, dicite, vive dies.





CAP XVI.

De meliore vino.

Gignit, & humores, melius vinum, meliores,
Si fuerit nigrum, corpus reddet tibi pigrum.
Vinum, ſit, clarumque, vetus, ſubtile maturum,
Ac bene dilutum, ſaliens, moderamine ſumptum.

HIC docetur in primis, ex meliore vino, meliores humores procreari (1), neque id ſane immeri-

¶ [1] *Capite 8. n. 2. probatum eſt, vinum numquam corpus humanum nutrire poſſe, a fortiori ergo, bonos humores pro nutritionis materia, neque poſſe producere, concludendum eſt. Concurrit vero aliquando ad bonam nutritionem, uti eodem capi-*

to. Nam quanto præstantior humorum materia fuerit, tanto ex ea etiam, meliores humores gigni, rationi consentaneum est. Subjungitur deinde, corpus, nigri vini potu, torpidum, ac pigrum reddi, & ne hoc quidem, citra rationem. Nam cum reliquis sit crassius, ac terrenæ naturæ magis particeps, spiritus etiam, crassiores, inde produci necesse est. Similem esse, oportet, defluxum subjectæ substantiæ, ut locis supra aliquoties citatis, Galenus auctor est. Iam vero spiritus crassiores, corpus gravant, & ad voluntarios motus perficiendos, pigrum reddunt. Tertio loco, septem referuntur præcepta de electione vini.

PRIMUM, ut sit clarum: [2] hoc enim, utpote

---

te, vel roborando solidas partes, & stomacum præcipue, vel quædam alimenta præservando a spontanea corruptione.

¶ [2] *Oportet, ut bene fuerit fermentatum, atque simul longo tempore in vase bene clauso adservetur, ut omnes partes eterogeneas deponat, quæ, licet reliquo vino graviores, nunquam ab eo secederent, nisi omnis motus fermentationis integre cessaverit, quo vigente, fæces, & tartarum cum vino commixta, confunduntur. Concurrit similiter, pro vini claritate, tenuitas partium componentium, quæ levissimæ, citius sedimentum deponunt, uti sunt omnia vina oligophora, quæ brevi tempore clara fiunt. Cæterum vinum austerum, vel etiam sulphureum, nonnisi longevè asservatum, clarescit, quia ejus partes reliquis ponderosiores, serius tartarum dimittunt, & reliquas impuritates.*

ſubtile, ſpiritus etiam, claros, ac ſubtiles generat.

SECUNDUM, ut ſit vetus: Novum enim, ſive muſtum (3) [ſi cætera conſentiant] facilius inebriat, alvum ſubducit, colicos cruciatus generat, & alia quædam adfert incommoda, de quibus infra capite. 26. Neque ita tamen, hoc intelligendum venit, ut nobis admodum vetus eligendum videatur. Tale, enim juxta Avicennæ ſententiam 3. 1. doct. 2. cap. 8. inter medicamenta (4) potius, quam potus, reponendum eſt.

¶ [3] *Minus fortaſſe, niſi prorſus hoc effectu orbatur, quia caret ſpiritibus. Vid. tom. 6. prælect. academ. Boerhaav. pag.* 297. Liquores vero, qui non fermentati ſunt, minus inebriant &c. *&* *Hall. adnotat. n.* 4. Muſtum non inebriat, neque ſpiritum vini dat &c. *De ejus noxa, in dictione* Acrimonia *Cap.* 12. *n.* 4. *dictum eſt.*

¶ (4) *Et revera vinum tamquam medicamentum haberi poteſt, eo autem uti ad gulam, indignum omnino eſſet, etiamſi nullum damnum ſanitati adferret. Sufficit ergo, ut medicamenti vices gerat, ſtomacum nempe roborando, digeſtioni ſubveniendo, & quædam alimenta a corruptela præſervando, uti carnes, piſces, ova, & hujuſmodi alia, quapropter expedit, ut ſit vetus, quantum fieri poteſt, ne forte, impurum adhuc, noceat, & ſtomacum gravet. Nam verum non eſt, fæces humano corpori nutrimentum adferre, ſed ſtomaco gravitatem, anxietatem, & nauſeam, quia nullo modo digeri poſſunt.*

Maior siquidem ei, corp oris ad caliditatem, siccitatem alterandi, quam alendi facultas inest. Alimentum enim, quod ex ipso, corpori hominum accedit, exiguum est, eo quod, a fæcibus, & viriditate, quibus permistum, & confusum fuit, jam repurgatum, seque ipso calidius, quodammodo effectum sit. Vinum namque, sicuti libro 8. capit. 14. de simpl. medicam. facult. a Galeno scribitur, ex secundo est ordine excalfacientium; sed, quod admodum vetus est, ex tertio: sicut mustum, quod vocant, ex primo. Caliditati eius, proportione, respondet siccitas.

TERTIUM, ut sit subtile: (5) tale enim, spiritus procreat multos, atque subtiles: cum e diverso, crassum, crassos generet.

QUARTUM, ut sit maturum, non austerum, sive stypticum. Austerum namque vinum, quemadmodum comment. 8. lib. 3. de vict. rat. in morb. acut. Galenus attestatur, excretiones omnes cohibet (6). Quare lædit ea corpo-

---

¶ [5] *Hec proprietas utpluximum a vetustate venit, per quam vinum, tractu temporis, ab omnibus impuritatibus expoliatur, vel a locis, in quibus producitur, quales sunt montes, aut colles qui ad meridiem vergunt in aere puro, & ventilato.*

¶ [6] *Adsunt quædam vina, quæ, licet, sediinentum deposuerint, quamdam partium asperitatem retinent, cujus ope, stiptica evadunt, & ita fortius vasa roborant, & adstringunt, ut urinam*

ra, quibus per urinas expurgari est opus, lædit quoque superiora omnia. Sed tamen ipsa astrictionis ratione, omnino juvamentum præstat ægritudinibus intestinorum. Verum hujusmodi astrictionem labefactat, exolvitque, si aqua temperatum fuerit.

QUINTUM, ut sit dilutum; vinum enim, cum diluitur, hoc est, aqua temperatur, remittit fumositatem suam, atque ob eam rem, minus, tum caput gravat, tum inebriat. Sed hoc ipsum de vino subtili, potissimum intelligendum videtur; Nempe crassum diluendo, subtilius, ac

---

sere intercipiant, etiam quia exilissimos tubulos urinarios nequeunt subire, ob partes satis rudes. Hæc eadem difficillime digeruntur, quia, ut eorum asperitas possit emendari, longius quam reliquæ circumvehi debent per vasa, & a vasorum momento fortius pariter adteri. Ob eamdem rationem caput potius, quam renes petunt, quia mechanica ratione per vasa majora feruntur, & recto tramite caput feriunt, non vero per sectiones laterales, quarum via, aquæ patet solummodo, & oligophoris, a quibus, uti antea dictum est, promovetur urina. Verum diu asservari debent, quia raro, tractu temporis, partes adtenuantur, & asperitas corrigitur, neque unquam spiritu destituuntur, quem per biennium, & ultra retinent. Si vero quis ea bibere voluerit, non abs re erit, sufficienti aquæ quantitate diluere, ad enervandam vim stipticam, ne forte noceant.

magis fumosum efficicitur; atque ob id, citius inebriat. De eo igitur Avicennam intellexisse censendum est 3. doctr. 2. cap. 8. dum inquit: Mixtum velocius inebriat.

SEXTUM, ut infundendo, quasi subsiliat, & est una, de boni vini conditionibus, de quibus cap. 10. dictum est.

SEPTIMUM, ut modicè sumatur. Vinum enim modicè sumptum acuit ingenium (7). Excitat enim vini calor, inveniendi vim, quæ torpet nonnumquam in jejunis. Extat hæc sententia libro de disciplina scholarium, qui Severino Bohetio adscribitur, cap. 2. Vinum, inquit, modicè sumptum, intellectui videtur conferre acumen; non autem modicè sumptum, rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ad ignorantiam perducit. Ex omnibus jam dictis colligitur, pro conservanda bona valetudine, eligendum esse vinum ætate medium, clarum, rubedine nonnulla participans, odoratum, sapore æquale, ita ut non acre sit, nec acutum, neque subtile nimis; sed ad subtilitatem inclinans, neque excellenter potens, neque plus æquo imbecillum; sed medium, natum in colle aperto, ita Virg. in Georg. 2. *Apertos Baccus amat colles &c.*, meridiem spectante, regionem inter caliditatem, ac frigiditatem tempe-

¶ (7) *Quod probatum volumus Cap. 8. n. 22. dictione* adferunt, *atque antea de omnibus ejus utilitatibus satis, dictum est.*

rata. Hæc ferè Avicenn. loco cit. . Porro circa vini usum, pro ætatis ratione, tres notandæ sunt regulæ. Prima, ne pueris (8) detur vinum in potu nam perinde hoc idem esset, ac si ignem, igni adderes. Quippe quum, haustum, & humectat nimium, & calefacit corpus, tum caput halitu replet iis, qui humido, calidoque temperamento sunt, quale est, ejusmodi puerorum. At quoniam, nec repleri his caput est utile, nec supra quod par est, humidos, calidosque fieri, quum eo jam caloris humorisque pervenerunt, ut si paululum utramvis qualitatem auxeris, jam modum excesserit. Cum autem sit omnis excessus fugiendus, maximè hunc fugere expedit, ex quo, non corpori modo, verum etiam animo damnum accidit. Gal. lib. 1. c. 15. de sanit. tuend. Secunda, ut seni detur, quantum citra dispendium valetudinis ferre queat, hoc est quantum adpetit genuina, ac regulari adpetentia. Quemadmodum enim ocreæ veteres, aridæ, & corrugatæ, oleo, ita corpora senum, vino electo, quale est Bello-

---

¶ [8] *Non obstat ætas moderato vini usui, immo hæc aliquando indispensabili necessitate vinum requirit, vel ad stomaci calorem excitandum, vel ad ciborum corruptelam impediendam, ex qua febres putridæ, vermes, & non raro convulsiones adoriuntur. Metiendæ vero sunt vires digestionis in Pueris, ut datam vini quantitatem ferre possint, ne forte, ob eorum imbecillitatem ebrii evadant, unde hebetudo sensuum internorum, & desipientia.*

vacense, reficiuntur ac revocantur. Senibus [9] enim cum exangues, & frigidi sint, unum illud maximum commodum ex vino accidit, quod ætatis frigiditatem, ad symmetriam, & mediocritatem caloris reducat, tristitiam, & melancoliam, quibus abundant, expellat, & soporem, quo ferè destituuntur, revocet; obstructiones item, quibus iidem obnoxii sunt, tollat. Sane vinum, sicuti pueris alienissimum, ita senibus aptissimum est. Galen. lib. 5. de sanit. tuend. c. 7. Tertia, ut juvenibus non exhibeatur, nisi temperatè. Nam, ut Galenus inquit, lib. 1. de sanit. tuend. c. 16. Neque jam adultis, vinum, nisi modicè sumptum, existimandum est utile esse: quod videlicet, & ad iram, & ad libidinem præcipites facit, & partem animi rationalem hæbentem, turbidamque reddit. Cæterum his ipsis, ad bilis excrementa, vel expellenda, est sane non inutile. Corpus corroborat, & ingenium, ob subtilium, & tenuium spirituum copiam exacuit. Plura Plato. l. 2. de legibus, Seneca lib. 2. c. 20. de Ira, & Galenus in libro, quod animi mores corporis, temperaturam sequantur. cap. 10.

¶ (9) *Senes vinum adpetunt, neque eo carere possunt in prandio, quia ab ejus usu digestio facilitatur, & sanguinis circulatio, tarda nimis, & lenta, promovetur. Verum vina satis austera, & roborantia vitanda sunt, quia majorem exiccationem inferunt, unde vitæ destructio: Vid. Boerhaav. tom. 6. prælect. academ. paragr.* 1058. In senectute vinum molle edentulum.

CAP. XVII.

DE CEREUISIA.

NOn acidum ſapiat ceruiſia, ſit bene clara,
Et granis ſit cocta bonis, ſatis, ac veterata.

Hic quinque traduntur notæ ; eligendæ ceruiſiæ [1].

PRIMA, ut non ſit acida: hæc enim ventriculo inimica eſt. Acetum, namque, quemadmodum comment. 36. lib. 3, de victus ration. in morb. acut. Galenus docet, ſuapte natura, nervos offendit; idque ſanè; experimentum teſtatur, & demonſtrat ratio. Nempe exangues (2) ſunt, & ideo frigidi, facileque ab iis, quæ refrigerant ſimul,

¶ [1] *Potus ab ordeo, avena, vel a frumento paratus, prævia ebullitione, uſitatiſſimus ſeptentrionalibus, apud nos nullius fere uſus.*

¶ (2) *Licet nervi, ſpiritibus tantummodo tranſmittendis a capite ad omnes corporis partes fuerint deſtinati, non vero ſanguinis circulationi, nihilominus, a teca piæ matris, arcte teguntur, quæ copioſiſſimis vaſis ſanguiferis conſtat, licet tenuiſ-*

& tenues habent partes, afficiuntur medicamentis: Læduntur præterea, & a reliquis perfrigerantibus omnibus; sed substantia aceti, quod tenuium est partium, in eorum mergitur (3) profundum, atque in omnes, ita irrumpit partes, ut ne minimum quidem eis illæsum maneat: Sic igitur acetum nervosas offendit partes. Ventriculus autem nervosus est. Ergo &c.

SECUNDA, ut sit clara: turbida enim, impinguat quidem; sed urinarum meatus obstruit, atque, ob id, calculosis plurimum nocet, flatus gignit, difficilem, atque brevem spirationem efficit, & pituitam auget.

TERTIA, ut sit cocta ex bonis, ac validis, & minime corruptis granis, nempe ex optimo hordeo, tritico, vel avena: quanto enim grana meliora fuerint, tanto, & meliorem inde humorem gigni par est.

QUARTA, ut sit benè, ac perfectè cocta. Hæc enim melius concoquitur, & naturæ

---

simis; Imo prout motibus omnibus inservientes, sive naturalibus, sive voluntariis, calorem excitant in toto corpore, qui ligatis, vel dissectis nervis, perit continuo. Hemiplecticis, enormiter frigent artus adfecti, qui neque frictionibus, neque fomentis, neque ulla arte calent, nisi nervorum actio iterum accesserit.

¶ [3] *Acetum numquam, nervorum profundum pervadit, neque eorum principium attingit, præter solas extremitates, quas mirifice roborat, & sen-*

convenentior existit; Male vero cocta, ventris inflationes, tormina, & colicos cruciatus generat.

QUINTA, ut si vetus, & a foecibus repurgata. Recens enim, præterquam quod, iisdem malis, quibus male cocta abnoxia est, strangüriam etiam facit. Plura infra cap. 46.

---

sum acuit, quia spiritu caret, qui solummodo ad caput fertur, uti de vino dictum est. Ob eandem rationem, neque partibus tenuibus constat, quia omnia acida spiritibus destituuntur. Acetum insuper non ab omnibus æque fertur; biliosis vero præstat summopere, ad calorem, & Bilem temperandam; quæ nimis effrena ad corruptionem vergit; phlegmaticis est inimicum.

CAP. XVIII.

De usu cereuisiae.

DE qua potetur, stomachus non inde gravetur.

HIC, unicum de ceruisiæ usu, præceptum traditur, nempe ut modice sumatur, neque ea stomachus prægravetur, vel ebrietas concilietur.

Ebrietas enim ex ceruisia, [1] quæ vino deterior est, & diutius perdurat, quod crassior, concoctuque difficilior sit, quam vinum. Fumi namque crassiores, inde ad caput elevantur, quam ex vino; quare tardius etiam discutiuntur. Ex quo sane loco, sequitur etiam, in principio prandii, vel cœnæ potum, a ceruisia utilius, quam a vino inchoari; Ventriculus etenim, ante cibi sumptionem vacuus, & nutrimenti indigus, e proximis, haud dubie visceribus attrahit [2]. Illa vero,

---

¶ (1) *Cerevisia minus inebriat, quam vinum; quia minus spirituosa est, spiritus autem, quos continet, spiritibus vini, crassiores sunt, & difficile digeruntur, unde longior ebrietas. Vid. tom. IV. prælect. academ. Boerhaav. pag. 297. de somno*: E diverso, cerevisiæ Meræ, qualis mumma est majori quantitate epotæ, Veternum faciunt, biduo, et triduo superfuturum: Nempe spirituosæ particulæ ex cerevisia lentius se expediunt &c.

¶ [2] *Nullam attractionis vim adhuc, cognovimus in fluidis, quæ a vasorum momento, ita continuo agitantur, ut neque momento temporis possint quiescere. Oporteret autem, ut vis attrahens, motum ipsum longe excederet, quod in fluidis corporis humani nequit verificari, & fortasse, neque in reliquis corporibus inertibus, quomodolibet motis. Præterea, neque superfluitates in ventriculum inanem confluunt a proximis aliis visceribus, præter humorem gastricum, ab arteriis gastricis paratum, atque eo adfluentius, quo alimenta digerenda co-*

ut copiose admodum lib. 3. de facult. natur. c. 13. Galenus docet, nihil præter superfluitates, & excrementa retribuisse certum est: quo fit, ut superfluitatibus jam, atque excrementis abundet. Quæ certe potissima causa est, cur in maxima fame (3), Medici consulant, ut ante cibi sum-

---

piosiora erunt, quia jam constat, humorem hunc digestioni potius, quam aliis stomaci necessitatibus esse dicatum, ut ab eo nempe alimenta, melius emollita, sub viribus digestionis, in partes tenuissimas abire possint. Solummodo Bilis aliquando in ventriculum pervenit, superata resistentia valvulæ pilori, vel per emeticum, vel per aliam adhuc reconditam causam, ut in Febribus putridis biliosis.

¶ [3] *Alibi probatum est, omnia acida famem excitare posse, atque satis molestam, quoties acidum intentius evaserit ad morbum usque. Vid. tom. 6. prælect. academ. Boerhaav. pag. 195. ad 196. §. 913.* Signa acrimoniæ acidæ . . . . adpetitus sæpe ingens, digestio celerrima, validus adpetitus rerum terrestrium, & absorbentium &c. *Tunc enim Medici præcipiunt emeticum, cujus ope, humores acidi, qui internam famis causam constituunt, educti, famis ipsa cessat. Idem fortasse fieri potest per absorbentia, & alcalina. Vinum autem nocet, quia acido satis favet, nec non cerevisia, in qua acidum, plus quam in ipso vino eminet. Similiter jejuno stomaco epotum, facilius inebriat, non quia superfluitates secum ad caput ferat, sed quia ventriculi nervos immediate, &*

ptionem, vomitus eliciatur: quo nimirum superfluitates illæ, a ventriculo attractæ evacuentur prius, minimeque cum χολῷ misceantur. Si igitur in principio mensæ biberetur vinum, quo natura præcipue delectatur, quodque avidissime, ab ea, quæ visceribus inest, trahendi vi, rapitur: superfluitates a ventriculo attractæ, una cum vino, in omnia statim corporis membra, non sine sanitatis dispendio distraherentur. Atque ob hoc fortassis Ioannes Matthæus de Gradi consilio 90. non in principio solum mensæ, sed in maxima quoque siti, & post quamlibet actionem fortem, ac vehementem, a vino abstinendum censet: quippe quod ita sumptum, incoctum adhuc, ac crudum, ad nervos facile penetret, atque inibi in acetum commutetur. Ceruisia vero, utpote crassior, & ad concoctionem pertinacior, non tam avide rapitur; quare ab ea, potus, in principio prandii, vel cœnæ, utilius inchoatur. Ceruisia, humores etiam, orificio stomachi incidentes abluit, & sitim, quæ ex nimia vini potatione timetur, præterea, & quamlibet aliam mendosam, coercet, ac reprimit.

---

absque intermedio cibo undequaque pervadit, unde spiritus, exspeditissimo itinere caput feriuat.

CAP. XIX.

QUAE VICTUS RATIO, QUOLIBET ANNI TEMPORE, SIT UTILIS.

TEmporibus veris, modicum prandere juberis,
Sed calor aestatis, dapibus nocet immoderatis,
Autumni fructus, caveas ne sint tibi luctus,
De mensa sume, quantumvis, tempore brumae.

HIC, pro singulis anni temporibus conveniens instituitur victus ratio. Et primo quidem, de Vere agitur. Verno (1) siquidem tempore modice prandendum est, idest paululum cibo demendum, adiiciendumque potioni. Cornelio Celso lib. 1. capite 3. & Avicenna 2. 1. doct. 2. cap. 6.

¶ (1) *Vid. prælect. academ. Boerhaav. tom. 6. pag.* 252. §. 1052. Vere, &, Autumno, victus moderandus, media, quasi inter æstivum, & hibernum, temperie, considerando simul in quodam horum temporum, plus, minusve inclinaverit.

teſtibus. Hyeme enim ob temporis guloſitatem, exercitii parvitatem,[2]& reſolutionis prohibitionem humores crudi, maximeque phlegmatici, ex temporis proportione generati, in interioribus corporis, ob ambientis aeris frigiditatem, ſive ἀντιπερίστασιν, adunantur. Ver autem ſuperveniens, illos eliquat, & per totum corpus diffundit: Quare natura, per id tempus, plurimum circa illorum concoctionem occupata eſt (3). Si itaque in vere

¶ (2) *Cui ſupplet aer ſatis frigidus, qui omnia vaſa roborando, momentum auget, & omnes excretiones, tum ſenſibiles, tum etiam inſenſibilem perſpirationem promptius promovet. Vid. prælect. academ. Boerhaav. tom. 3. de Sanctorian. perſpirat. pag.* 307. §. 340. efficiunt, conſervant &c. aer purus, ſerenus, ſiccus, gravis, frigidus.

¶ [3] *Hyeme potius, quam quovis alio anni tempore, borea potiſſimum flante, vaſorum omnium viget validiſſimum momentum, humoribus parandis aptiſſimum, quod omnes excludit cruditates; Quia autem, in aliquibus temperamentis, ſudor toto hyeme ſilet, unguen cutaneum in ſuis folliculis diu aſſervatum, quamdam concipit acrimoniam; Vere autem adveniente, propter calorem adauctum in motum concitatur, & dum in ſudorem abit, ſatis moleſtum pruritum in tota excitat cute, nunquam ſedandum, niſi omnino fuerit expulſum. Similiter omnes fere humores, neque ſanguine excepto ab eodem calore rarefacti, vaſa eadem diſtendunt, & pletoram ad vaſa faciunt, quæ non raro mor-*

magna

magna daretur cibi copia, natura impedita a prædictorum humorum concoctione diverteretur, utpote humoribus, & magna ciborum copia plus æquo gravata: unde relicti in corpore humores crudi [4] & incocti facile, in membrum aliquod decumbentes, ægritudinem inducerent. Quare summopere cavendum est, ut id temporis cibo nonnihil demetur. Ciborum enim diminutio ab ægritudinibus Veris maxime præservat, Avicenna ibidem teste. Et hoc quidem de adulto, & extremo Vere intelligendum. Novum enim, hyemi adsimilatur, unde & hyemis ritu, per id tempus cibus administrandus est. Intelligendum item de corpore, crudis, & phlegmaticis humoribus referto. Corpore namque in humoribus temperato cibus juxta caloris innati, atque ejus, quæ a corpore fit resolutionis proportionem exhibendus est; ablata enim causa est, diminutionis cibi. Unde Hip-

---

hos inflammatorios gignit, per phlebotomiam præcipue curandos.

¶ (4) *Potius, ad expulsionem, cum jam asseverare liceat, omnes humores, & sanguinem, licet ad maximam perfectionem paratos, nihilominus ob frigus satis notabiliter inter se concrescere, & densari, qui, dum caloris ope soluti de corpore expelluntur, novi potius alimenti adpetentiam inferunt, quæ ne forte excesserit, omni industria moderanda est. Neque enim talis cruditas in stomaco contineri potest; quia, tunc temporis, digestio facillime absolvitur, & omnia duriora alimenta digeruntur.*

pocrates lib. 1. aphor. 15. Ventres, hyeme, & Vere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus, plurimus est, unde, & pluribus egent alimentis.

SECUNDO, de æstate: nempe quod immoderata cibi sumptio æstate noceat. Siquidem virtus concoctrix tunc debilis existit: Calor enim innatus, qui omnium operum naturalium causa est, propter extrinsecus circumstantis coloris excessum, ad sibi affinem, extra protenditur, atque ita contingit, dissolvi, ac dissipari ejus substantiam: ob hoc igitur debilior redditur, quam ut multum cibum conficere queat: Galenus comment. 15. lib. 1. aphor. Ubi minime tamen silentio prætereundum est, ob maximam, humiditatum corporis, tam substantialium, quam nutrimentalium, quæ per æstatem fieri solet, diffiationem; plurimum quidem, ac crassius (5) alimentum

---

¶ [5] *Filum calybeum, igni admotum, vel quomodolibet calefactum elongatur, & parva vi flectitur; sub frigore autem rigescit: eo magis vasa, & fibræ corporis humani, quæ ob eorum flexibilitatem, in frigore tenduntur, & in calore concidunt, hinc momentum debilius. Hoc enim posito, æstivo tempore, duris, & crassis alimentis stomacum gravare non expedit, neque nimis implere etiam levissimis, uti infra Galenus ipse monet. Utendum ergo est victu humido, frigido, facilis digestionis, ut facile reparetur humorum dispen.*

exhibendum esse, si virtus concoctioni sufficeret. Verum cum uno, eodemque tempore multum conficere non sufficiat, parum de eo, ac sæpius exhibendum est. Id quod comment. 17. libro 1. aphor. Galenus iis significavit verbis: Aestivo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt, quoniam, & plurima egent adjectione, utqui sunt dissoluti, & vires habeant imbecilles. Idem Cornelius Celsus lib. 1. cap. 3 sic scribens confirmat: Æstate, ut sæpius cibo utendum, sic exiguo est. Quanquam vero cibo nonnihil per æstatem demendum est; potioni tamen adjiciendum videtur. Maxima siquidem tum fit difflatio, & exiccatio corporis, & calor, humidum longè exuperat, unde major etiam sitis exoritur. Elixis itaque frigidisque cibis, ac potione, tum multa, tum diluta utendum

---

dium, quod per sudorem fit. Vid. tom. 6. præ. lect. academ. Boerhaav. pag. 151. §. 1052. Eodem . . . . Æstate conducit victus levis, mollis, laxans, humidus, lenis, ex oleribus, fructibus, lacte, jusculis, cum potu, copioso, aquoso, vel admodum diluto &c. *Quod pariter Galenus, & Celsus suadent mox infra. Ruris autem hominibus, qui quotidianis laboribus exercentur, duriora alimenta concedenda sunt, humidis quoque, & frigidis non denegatis, alioquin sub victu leni, & laxante, non sufficerent exercitiis peragendis, nam in sudorem profusissimum solverentur cum magno virium dispendio.*

Vinum vero purum, ac vinosum, ut quod facilè inflammetur, & violento æstu vehementem calorem incendat, vitandum.

TERTIO, de Autumno: ut scilicet in eo a pomis, ac cæteris autumnalibus fructibus, nimirum uvis, persicis, ficubus, & similibus abstineatur (6), vel parce saltem de ipsis assumatur, ob ebullitionem enim quam corpore, & humoribus

---

¶ [6] *Hoc anni tempore, nec non æstate, hos dedit fructus sagax natura omnibus hominibus, non solum ad solatium, & delectationem, verum etiam ad utilitatem. Post fervidam insolationem per sudorem, & insensibilem perspirationem, sanguinis parte fluidiori difflata, lentor omnia invadit liquida, in quibus autumnali febre enata, ita morbi causa adhæret, ut longissimam febrim faciat, atque facilem recidivam. Huic vero lentori, horum fructuum usus mirabiliter supplet, humorem nempe suppeditando, qui sanguinem fluidiorem reddit, omnesque humorum asperitates temperat, atque tandem bilis acrimoniam, quæ putridas febres quandoque suscitat. Verum negari non potest, illorum abusum notabiliter lædere, quoties propter nimiam acescentiam bilis ipsa iners, & lenta evaserit suis muneribus subeundis satis impar. Ut sanitas ergo diutius servetur, curandum est, quod neque bilis nimis acrior evadat, ut reliquos corrumpat humores; neque ab acidis ita, enervetur, uti omni efficacia prorsus destituatur. Cæterum de his fructibus satis in Cap. 7. dictum est.*

faciunt, sanguinem nimis fluidum, & putrefactioni accommodum generant, idque maxime in ventriculo impuro, & corporibus κακοχύμοις, qualia per autumnum sæpius occurrunt: quæ, ob id etiam malis corripiuntur ægritudinibus, cujusmodi habentur inprimis, variolæ, morbilli, & pustolæ. Quod palam etiam Paulus Ægineta libro 1. cap. 53. ita scribens attestatur: Poma autumno affatim assumere noxium est, ut, quæ, non copia tantum obsint, verumetiam vitiosos procreent humores, & inflationes. Etenim præstantissima, nempe ficus, & uvæ, flatus pariunt, corrumpuntque cibos, nisi ante alios præsumantur, ita verò, neque inflant neque corrumpunt. Cæterum qua exactior victus ratio per autumnum habeatur, unicè hoc omnibus, qui sanitatis tuendæ curam susceperint, cavendum est, quemadmodum lib. 4. ad Almans. cap. 26. Rhazes præcipit, ne famem, vel sitim patiantur, vel cibo una hora repleantur, vel aqua. Vinum autem bibendum est paulo liberius, non tamen immodicè, ceu in æstate dilutum: nempe, ut corpus humectet, & calorem reprimat. Quod enim aqua immodicè temperatum est, calorem obtundit, inflationes, ac inde colicos cruciatus procreat. Minus etiam ejus, quam per æstatem sumendum est. Siquidem natura, tunc imbecillior existit, quam ut magnam vini copiam concoquere queat. Sunt apud Galenum in libro de cibis boni, & mali succi, cap. 3. pulcherrima quædam, ac utilissima de horræis fructibus præcepta, quem sanè locum, quia valde eruditus est, hic integrum subiicere placuit. Pater meus, inquit, geometriæ, architectoniæ, astro-

nomiæ, arithmeticæ, logiſtices ſtudiis plurimum valuit. Maximeque omnibus, quibus erat notus, ob ipſius juſtitiam, modeſtiam, bonitatem, ut cuivis ex philoſophis, admirationi fuit. Is cum puer ipſe adhuc eſſem, eam mihi victus rationem inſtituit, ut nullis per id tempus, obnoxius morbis vixerim. Ubi vero adoleſcentiam ſum ingreſſus, ille in agrum, rei ruſticæ ſtudioſus conceſſit, ego vero doctrinæ ſtudiis ardentius, quam cæteri condiſcipuli, die, noctuque operam dabam; ſed cum per totum id tempus, quod ὀπώραν vocant, horæis, hoc eſt, temporariis, vel fugacibus fructibus, una cum æqualibus meis uberius uſus eſſem, adveniente autumno, acuto morbo correptus ſum, venamque incidere opus fuit. Cumque ergo in urbem pater reverteretur, ad me objurgandum ſe convertit, ejusque generis victus admonuit, quo eodem ſuadente, & uſus antea fueram, atque ab illo in poſterum minimè diſcederem, vitaremque ſodalium incontinentium conſuetudinem, præcepit. Tum ſequenti etiam anno operam curamque adhibuit ut ſobriè viverem, atque horæos fructus cum moderatione guſtarem. Atque ita in eo anno qui erat ætatis meæ undeviceſimus, incolumis vixi. Sed cum altero deinde anno pater exceſſiſſet è vita, ipſeque, una cum ejuſdem ætatis amicis, fructus ad ſatietatem ſumerem, in ægritudinem ſuperiori conſimilem incidi, ut tunc quoque ſanguinis miſſione opus eſſet: Deinde vero, vel ſingulis annis, alternis nonnunquam, ad octavum uſque viceſimum annum morbo aliquo laborabam. Cumque, tunc temporis periculum

esset, ne ea pars mihi, qua jecur septo trasverso annexum est; abscessu corriperetur; ab esu horæorum omnium, mihi penitus abstinendum proposui, exceptis ficubus, uvisque omnino maturis, quas; neque intemperanter, ut antea; sed cum moderatione sumebam. Quam sane victus rationem, cum quidam ex sodalibus, natu me duobus annis major, comprobaret; curam ambo adhibuimus, ut exerceremur, cruditatesque omnino vitaremus, ob idque, ad hanc usque diem, multos iam annos, incolumes viximus. Reliqui quoque ex amicis, qui me hortante, exercitatione usi sunt, moderateque cibum sumpserunt, recte omnes semper valuerunt, sed alii quidem, a quinto jam, & vicesimo, alii ab aliquanto paucioribus annis, ut cuique scilicet persuasum fuit, horæos fructus, cibosque alios mali succi, vitari oportere. Hæc ille.

QUARTO; de hyeme: Hyberno siquidem tempore, Avicen. 2. 1. doct. 2. cap. 6, teste, quantum volumus, hoc est, plus quam cæteris temporibus edendum (7) est. Quod Gal. etiam testimonio confirmatur, qui comment. 17. lib. 1. aphor. in eum scribit modum: Hyberno tempo-

---

¶ [7] *Ob vires omnes musculares majores, quæ sub frigore satis intenduntur, unde etiam duriora conveniunt alimenta. Vid. secund. part. §. mox supra citat.* Hyeme prodest victus, durus, siccus, aromate, vel sale acrior, caro assa, panis plus coctus &c.

re, multa quidem danda sunt propter robur virium, sed raro, quia non valde multa indigent adjectione, laborantes, ut quibus non, multa fiat evacuatio. Et ratio quidem est, quia calor innatus, hyeme intensior [8] est, tum quia unitus, tum quia corroboratus, διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν, idest, juxta positionem sui contrarii, nempe aeris frigidi corpora ambientis. De qua plura Aristoteles lib. I. c. 12. μετεωρολογικῶν. Sed hoc veritatem habet in robustis & corpulentis, non autem in raris, & debilibus. [9] In his enim, intensum

---

¶ (8) *Quoties calor innatus ciborum digestionem absolvit, idem calor eorumdem eductionem, sive sensibilem, sive insensibilem provocaret. Neque frigidus aer exterior obstat evacuationibus omnibus, neque, perspiratione excepta, potissimum in athleticis, imo potius propter robur, quod vasis conciliat, eis opitulatur. Vid. Boerhaav. tom. 3. prælect. academ.* §. 430. *Efficiunt &c.* Aer purus, serenus, siccus, gravis, frigidus.

¶ (9) *Nimirum senibus, atque omnibus phlegmaticis, quorum humores nimia præstant densitate, quæ sub frigore magis, magisque augetur. Nam sicuti frigus elementis solidis fibrarum, & vasorum majorem cohæsionem adfert, ita humores densat, præsertim illos, qui tardissimo motu incedunt, unde perspiratio supprimitur, corporis pondus augetur, adpetitus remittitur, atque tandem reumatismi, peripneumonia, & febres lentæ sequuntur, per frictiones, balnea calida, & fotus curandæ.*

hyemis frigus, non modo non corroborat calorem innatum; sed magis debilitat. Quod vero hyberno tempore calor plurimus sit, innuit Hyppoc. aphor. 15. lib. 1. Ventres hyeme, & Vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus, plurimus est, unde, & pluribus egent alimentis. Quæ quidem, & crassiora, & concoctu difficiliora exhibere licet, eo quod calor intensior sit. Vino autem utendum est, tum meraciore, tum rubicundiore. Quanquam vero in hyeme, ob robur caloris innati, & fortitudinem virtutis concoctricis, cibi crassiores, ac densiores conveniunt, quia tamen tunc temporis, ob phlegmatis abundantiam corpora facillime replentur & obstruuntur, & parva fit a continente resolutio: tutius est, uti cibis, inter solidum, & rarum mediis: qualis est caro hœdina, vitulina, vervecina, luciorum, percarum, & cancrorum: Crassioribus vero, ut bovina, cervina, porcina, concharum, ostræarum, carpionum, & similium, abstinendum, aut certe cum moderatione utendum: adhibitis semper, rebus aperitivis, & diureticis, nimirum petroselino, nasturtio, apio, & exercitio forti. Cæterum circa victus rationem, pro singulis anni temporibus convenientem, hoc etiam notandum venit: Quod autumno quidem, melancholicis cibis, ac siccantibus abstinere

---

Vidi quamplurimos senes, Asthmate laborare in intenso frigore.

oporteat, hyeme vero, eis uti, quemadmodum sane æstate, humectantibus, & refrigerantibus: Vere autem, quod medii sit temperamenti, mediæ facultatis cibos edere, quemadmodum lib. 1. cap. 25. de aliment. facult. Galenus attestatur.



CAP. XX.

De pravo potu corrigendo.

SAlvia cum ruta, faciunt tibi pocula tuta,
Adde rosæ florem, minuuntque potenter amorem.

Duo traduntur hoc loco, pravi potus remedia. PRIMUM, Salvia, cujus folia, potibus immersa, vitia eorum, proprietate quadam tollunt. Peculiarem præterea habent gratiam roborandi [1]

¶ (1) *Mirabile a salvia paratur remedium, ad cerebrum, & nervos roborandos, discutiendosque simul in Apoplepsia, Epilepsia, aliisque, Eleosaccarum nempe, cujus dragma semis ægro exhibita, destitutos sensus reficit, & motus excitat, Similiter ejus essentia exterius per frictiones, & inunctiones applicita, artubus resolutis summopere præstat. In adpetitu remisso, difficili digestione, stomaci frigiditate, aliisque similibus adfectionibus*

cerebrum, ac nervos; iis vero roboratis, malis fumis ex pravo potu procedentibus, melius resistitur.

SECUNDUM, Ruta. Huius namque folia integra, ac citra contritionem ullam potioni imposita, auxiliarem vim contra perniciem eius præstant. Etenim caliditate, proprietate sua, potus vitia emendant. De ruta, quomodo adversus venena conferat, satis dictum est supra capite 13. Additur in posteriore versu, quod flos rosæ superioribus adjunctus, non modo dictam earum vim augeat, sed Veneris insuper adpetitum cohibeat, (2) atque tollat. Quod sane de rosis potissimum intelligendum est, quæ puniceo colore rubent: hæ namque fragranti, ac styptico suo sapore, potus nocumentum removent.

---

mirabiliter confert. Quapropter omnia indigesta, quæ stomaco adhærent, sive a fluidis, sive a solidis alimentis discutiuntur, & digeruntur quamfacile. De Ruta, idem potest adfirmari.

¶ [2] *Si virtutem illarum auget, eadem quoque virtute nervina, & roborante donatur, unde repugnat veneris adpetitum cohibere. Omnes enim odores, cor reficiunt, & vires erigunt. Vid. to . 6. prælect. academ. Boerhaav. pag.* 276. *Ad C. . . sem* . . . . Flores Granatorum, Rosarum &c

CAP. XXI.

De nausea marina.

NAusea non poterit haec, quam vexare, marinam
Undam, cum vino mixtam, qui sumpserit ante.

Cum plerisque necessitas incidat, navigio per mare proficiscendi, hic etiam remedia quædam adversus nauseas, & vomitiones, (1) quibus prem-

(1) *Omnia emetica, nonnisi per convulsionem, licet lenem, vomitum cient, nervos nempe ventriculi vellicando, quibus lacessitis, ita abreviatur ventriculi cavea, ut contenta per os ejiciat. Flumina attente inspicienti, aut corpora rotantia, accidit vertigo, mox stomaci nausea, tandem vomitus. Irregularis radiorum actio in oculorum retinam, æquabilem spirituum motum turbat in cerebro, unde momentanea convulsio in toto nervorum systemate, & præsertim in ventriculo. Verum talis arcanus effectus, in debilibus potius, & exquisitissimo nervorum sensu donati, atque insuetis, quàm in robustis accidit, qui per roborantia tolli potest. Aqua enim marina, ob sal, quod continet, ventriculi nervos roborare valet, & a tali sensatione ser-*

solent, qui navium insueti, primum jam navigare incipiunt, enumerare placuit: Nempe si divites illi fuerint, ut per dies aliquot, antequam navem conscendant, vinum suum, aqua marina temperent: sin pauperes, aquam marinam absque mistione bibant. Sic enim fiet, ut nauseas citra ullum negotium evitent. Nam vinum, & praecipue aquosum, quod Paulo Aeginetae οἰνάριον Graece dicitur, stomacho, vomitionibus turbato, maxime convenit. Aqua vero marina salsa, & astrictoria sua vi, os ventriculi claudens, vomitiones praecidit, atque impedit. Porro vomitionibus primum jam oborientibus, nec facile, nec utiliter resistitur: ut quae omnino, magna ex parte, praesidio esse soleant contra magnas, & vehementes aegritudines, nimirum elephantiasin, (2) aquam in

---

vare. Probabilius vero crediderim, hoc evenire posse, ob vim solutivam, nam, depletis visceribus, per inferiora etiam ipse stomacus exinanitur, & dum motus centrum per inferiora praevalet, per superiora silet. Vinum generosum, acetum, omnia acida, & roborantia, idem efficiunt.

¶ (2) *Omni prorsus rationi repugnat, morbum hunc per vomitum solum, licet satis profusum, curari posse, cujus causa in dira, & invincibili humorum, & sanguinis dyscrasia scorbutica muriatica reposita est: quem Arabi Lepram dixerunt, licet quamplurimi, ab elephantiasi notabiliter differre velint, saltem ratione intensitatis; in Lepra enim sola cutis, in elenphantiasi vero tota caro ab*

tercutem, apoplexiam, & ſtomachi, tum frigidi-tatem, tum inflationem. Siquidem ab his, non ſolum præſervant; ſed eaſdem etiam, jam obortas, vel curant, vel certe lævant. At ſi diutius, crebriuſque urgeant, adeo ut, navigantes vehementer debilitentur, comeſtione ſtypticorum, & acidorum fructuum, cuiuſmodi ſunt mala cydonia, mala Matiana (hoc eſt, ut interpretatur Iacobus Sylvius, poma Sylveſtria, ut vero Ianus Cornarius, poma Arantia) & noſtra orbicularia poma, quæ Epiroticis malis reſpondere putantur, vulgo Capenduta, ſive *Pommes de Capennus* Gallice vocantur, & punica, ſive granata acida, reſtinguendæ ſunt. Hæc enim, os ventriculi corroborant, & humorem ſurſum repentem deorſum repellunt, ac inferne per ventrem evacuant, fluentemque ſtomachum ſiſtunt. Quin, & ipſe ſtomachus, ab hiſce roboratus fructibus, humores ad ſe

---

enormi muria obſeſſa eſt, neque cute excepta, quæ, adulto morbo, ita duris tegitur ſquamulis, & ſtupet, ut aquæ ferventis adfuſionem, aut aculei puncturam, non ſenſiat. Ad hunc gradum evecta, omnem curationis ſpem amittit, quia non ſolum fluida, ſed etiam ſolidas partes organicas lædit, atque deturpat, nam mutatur facies, labia craſſa evadunt, aures extenuantur, & elonganter, ut in ſatyris, media naſi pars ſubſidet, & irrefrenabilis coeundi voluptas adoritur. Reliquos vero morbos niſi omnino ſanari, ſaltem emendari poſſe, probabile videtur.

undarum exagitatione confluentes, reprimit. Apii quoque ſemen torrefactum, ac in vino potum, confert. Abſinthium quoque, tam in cibo, quam in potu ſumptum, nauſeas tollit. Panis item aſſatus, ſi ex vino aquoſo, & odoro maceratus ingeratur, prodeſt. In ſumma, tota victus ratio, tum ex acidis, & ventriculum roborantibus, tum vapores etiam, ſive fumos ad caput aſcendere prohibentibus, conſtituenda eſt; In quorum numero & lenticulæ cumprimis in aceto, vel ſucco uvæ acerbæ incoctæ, reponendæ ſunt. Plura Paulus Aegineta lib. 1. cap. 56. & Avicenna 3. 1. doct. 5. cap. 8.



CAP. XXII.

De generali condimento.

Salvia, ſal, vinum, piper, allia, petroſelinum.
Ex his, fac ſalſam, ne ſit commixtio falſa.

Communes recenſentur hoc loco materiæ, ex quibus in menſa ἐμβάμματα, hoc eſt, intinctus, condimenta, ſive ſalſamenta ex tempore parari poſſint, ſi ſpecialia defuerint. (1) Sunt

¶ [1] *Satis nota, etiam vulgo, atque in arte*

autem ex numero ſex. Et prima quidem, ſalvia eſt: Ex hac enim fit condimentum in aſſatione ſive coctura anſerum & porcellorum. Hi namque ſalvia perſæpe farciri ſolent, antequam aſſentur: ut nimirum ſuperfluis, ac glutinoſis ipſorum humiditatibus reſolutis, atque diſſipatis, ſalviæ penitus ſibi, cum odorem, tum ſaporem induant. Salvia tamen, poſt aſſationem rejicienda, & non comedenda eſt: Quinetiam ruricolæ, & plebei homines, condimentum ex ſalvia conficiunt, quo in anſerum eſu utuntur. Allium enim, cum ſalvia contundunt, ut acrimoniam deponat, & vino commiſcent. Secunda Sal: de quo infra cap. 52. Tertia, Vinum: Quod ſane extemporale divitum, vel nobilium condimentum eſt. Nam in ſinapij, aut veriuti defectu, vinum cum ſale temperatum pro ſalſamento ingerunt. Porro veriutum (ut hoc, obiter etiam hic explicetur) Gallicum,

---

culinaria uſitatiſſima, ad digeſtionem promovendam, ſtomacum roborandum, & nauſeam arcendam, quam tot varia, & compoſita alimenta ſequuntur, non raro cum corruptelæ metu, aliiſque ſtomaci cruciatibus. Concurrunt pariter ad appetitum excitandum, ut gulæ libidini, ultra temperantiam ſatisfaciendum ſit; quo caſu omnino damnanda eſſent, quia non ſemper ciborum exceſſui feliciter ſupplent, ne forte noceant. Saltem eorum abuſus acrimoniam producit, quia licet digeſtionem facilitare valeant, ipſa tamen, non ſemper æque digeruntur, atque ita ut innoxia evadant.

vo-

vocabulum eſt idem ſignificans, quod ὀμφάκιον [2] quod eſt ſuccus acerbæ uvæ, nondum matureſcentis. Italice *Agreſto*, Officinis agreſta, Gallice *Veriuſt*. Hiſpanice *Agraz*, & hinc, facta Latina nominis terminatione, Veriutum. Quarta, piper. [3] Eſtque ruſticorum, & agreſtium hominum ſalſamentum: quippe quibus, fabæ, atque piſa, pipere condita in quotidiano ſint uſu. Quinetiam ex pane toſto cum cerviſia, ſive vino, jus nigrum, pipere conditum, pultis inſtar conficitur, quod ob id, vulgato jam fere ubique nomine piperatum etiam appellatur. Hoc, ſuper carnes, aut piſces effuſum, in deliciis habetur. Quinta

---

¶ (2) *Gratiſſimum ſalſamentum aeſtivo tempore, ad carnis indolem corruptoriam, aliorumque ſimilium alimentorum corrigendam, cui male ſubſtituitur vinum cum ſale, ob maximam diſſimilitudinem, quæ inter utrumque intercedit. Sal enim in vino ſolutum liberius cum ejus ſpiritu per vaſa inhalantia, & per vaſa lactea in ſanguinem tranſit, atque graviſſima mala producit. Nil enim ſale, humano corpori, inimicius, a quo abſtinere melius eſſet, niſi alimentis condiendis inſerviret.*

¶ (3) *Hæc omnia aromata, larga manu adhibita, ad ſcorbutum diſponunt, adpetitum proſternunt, & nutritionem impediunt, ſanguinem ſolvunt, unde maculas ſcorbuticas, urinæ ardorem, & dentium eroſionem faciunt. Nihilominus virtus refrigerans a quamplurimis, licet imperitis, eis tribuitur, quod omnino falſum eſt; neque ad con-*

allium: (4) hinc quoque ſalſamentum ruſtici conficiunt, quod cum omnibus prope cibis ſuis, ſive aſſi illi fuerint, ſive elixi, ſive dulces, ſive ſalſi; imo vero, & cum induratis ovis eſitant. Allium namque tritum cum molli caſeo, ac lacte commiſcent, atque epulis deinde apponunt. Sexta, petroſelinum: Siquidem ex foliis ejus contuſis, cumque veriuto, vel vino albo commiſtis, fit ſalſa viridis, quæ cum aſſis fere manditur. Cæterum ſilentio minime prætereundum hoc loco, quod pro ratione temporum ſibi invicem ſuccedentium, tum cibariorum etiam, quibuſcum apponuntur, ſalſamenta variari conveniat. Calidis ſiquidem temporibus, frigida, aut minima certe caliditate participantia; e contrario vero frigidis calida conferunt. Salſamentorum igitur ſtatuenda materia eſt in eſtate, omphacium, turiones vitis, acetum, ſuccus malorum, limoniorum, vel citrangulorum, vel Punicorum, ſive granatorum, cum ſaccharo, ſtillatitio roſarum liquore, qui

---

trarium probandum, argumentis, aut tentamine indigemus, quia veritas ex ſe patet. Inſerviunt ſaltem ad calorem excitandum tempore hyemali, & ad digeſtionem, illis potiſſimum, qui ſtomaco frigidiores ſunt, & flegmate abundant, quoties parce nimis utantur; licet tutius vinum generoſum eo tempore eis ſubſtitutum, idem pariat effectum abſque noxa, aut omnia acida, præſertim temperamentis ſiccis, & bilioſis.

¶ [4] *De quo dictum eſt ſatis Cap.* 13.

ῥοδόταγμα Græcis dicitur, & amygdalis. Quibus tamen interdum, ſerpylli nonnihil, ac petroſelini, ad frigiditatis commoderationem addi poteſt. Temporibus frigidis aptiſſima conſtituetur ſalſamentorum materia, ſinapi, eruca, zingiber, piper, cinnamomum, caryophillon, allium, ſalvia, ſerpyllum, mentha, petroſelinum, juſcula carnium, vinum, & acetum, idque non acre nimis, ſed vini naturæ propinquum. Temperatis autem temporibus, inter caliditatem, & frigiditatem media, magis congruent. Porro quod ad cibaria ipſa attinet, alia aliis, quemadmodum ſane coqui non ignorant, egent condimentis. Carni namque vervecinæ, ſimiliter, & vitulinæ, atque capreolinæ, ſalſa viridis apponi ſolet, in æſtate quidem ex aceto, & omphacio, cum paucis ſpeciebus, nempe cum petroſelino, zingibere albo, omphacio, & pane toſto eoque in aceto, vel agreſta macerato, ſine allii admiſtione: In hyeme vero eadem, ſed cum largiore aromatum copia, pauco allio, optimo vino, & pauca agreſta, apponitur. Nonnunquam vero, ſinapium, & eruca ſufficiunt. Carnibus bubalis elixatis perquam utile pro condimento eſt, dumtaxat ad uſus eorum, qui recte valent, juſculum nigrum ex pane toſto, cumque jure carnium, pauco omphacio, & pipere coctum, quod piperatum etiam appellari diximus. Hoc idem, & pro ſuillis [5] non inutile hyberno tem-

¶ (5) *In his enim, præter nimiam humiditatem, quæ corruptioni ſatis favet, pinguedo abun-*

pore fuerit. Nihil porro vetat in principio refe-ctionis per æstatem, carnes suillas, etiam frigidas, cum aceto, ac petroselino mandi. Quod si tamen eædem carnes, nempe bovina, atque suilla, pastillatæ fuerint, hyeme quidem, cæpe, atque allium cum exiguo specierum dulcium pondere: æstate vero ὀμφάκιον, sive cæpis, aut parvulas cæpas, sed minuta plane copia, assumere alienum non est. Sin vero ex carnibus concisis minutal constiterit, repudiato per æstatem cæparum usu, lac amygdalarum cum omphacio, & exiguo specierum dulcium pulvere apponendum est. Ovum etiam conquassatum cum omphacio in fine conceditur. Hyeme vero, vinum in omphacii locum sufficere, adeoque species augere operæ precium erit. Cuniculorum, & pullorum assaturæ convenit condimentum ex cinnamomo, & mica panis, æstate quidem cum omphacio, sed hyeme cum vi-

---

dat per salsamenta prudenti consilio corrigenda, ne forte rancescat, præsertim in illis, qui stomaco sunt debiliores. Etiam quo ad anni tempus præstant piperata, & alia hujus generis: licet nil efficacius omnia pinguia corrigit, & rancidum avertit, quam acetum, succus limoniorum, aliaque similia. Verum relate ad varia hominum temperamenta, nunc acida, nunc piperata sunt eligenda. Hæc enim a biliosis, & calidis, omnino sunt vitanda, acida vero anteponenda. Secus in phlegmaticis. Vid. adnotat. in dict. Piper. *n.* 3.

no: Suillæ carni assatæ per hyemem conveniet liquor, qui inde assando destillaverit, cum cæpis contusis, & optimo vino temperatus; per æstatem vero, salsa viridis, cujus supra mentionem fecimus, ex usu magis erit, Phasianorum, perdicum, & turturum assaturæ, præter salem, aliud non requirunt condimentum; Caponibus vero, & gallinis elixatis non inutile condimentum est per hyemem, proprium decoctionis earundem jus cum pauco specierum dulcium pulvere; & maxime quidem si salvia, (6) hyssopus, ac petroselinum juri simul incocta fuerint, æstate, jus ipsum per se cum momento, croci, & succo turionum vitis sufficit. Cæterum pro caponum, & gallinarum pinguium pastillatarum condimento, præter exiguam specierum dulcium copiam, nihil penitus apponendum est, idque in fine tantum, per æstatem quidem cum omphacio: per hyemem vero cum optimo vino. Pisces (7) vero tanto calidioribus, at-

---

¶ (6) *Non credo hujusmodi herbas gratum saporem his ferculis conciliare posse, quoties sub classe Pharmacorum continentur, neque de earum virtute dubium superest, cum satis constet, quod digestionem, & adpetitum excitare valeant, salvia præsertim.*

¶ (7) *Longe minor est coherentia substantiæ Piscium, quam cuiuscumque carnis, longe facilior illorum corruptio, unde condimentis, longe quoque validioribus, opus est ad talem corruptionem avertendam, licet semper ea præstare videntur, quæ*

que acrioribus opus habent condimentis, quanto crassiore, magisque excrementitia carne, & humidiore natura constiterint, concoctuque pertinaciores fuerint. Eadem, in carnibus quoque habenda est ratio. Plura Magninus de conservanda sanitate, part. 3. capite 20. & 21.

---

variis temperamentis consentanea sunt: Audivi saepius, nonnullos conqueri de difficili digestione piscium, dum carnes facilius ferebant, credentes, hoc a stomaci validitate evenire, duriora tantum digerentis: Verum si hoc esset, sequeretur, quod ea potentia, quae magnam subigit resistentiam, subigeret pariter, & minorem, majori facilitate. Hoc autem arcanum sequens solvit ratio, quia Pisces constant fluida utplurimum substantia, nisi continuo post comestionem digerantur, facillime corrumpuntur, quod carnibus, praesertim rudioribus, non accidit, quae etiamsi per aliquod tempus indigestae in stomaco retineantur, non adhuc in corruptelam abeunt. Ideo stomaco debiliores, vel qui acido spontaneo laborant, duriora tantum alimenta ferunt; a frugalibus vero male se habent, atque ab illis, quae facile corrumpuntur, imo pejus ab illis, quae acescunt.

CAP. XXIII.

De utilitate lotionis manuum.

Lotio post mensam, tibi confert munera bina;
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Si fore vis sanus, ablue sæpe manus.

Duæ hic referuntur commoditates ex lotione manuum a sumpto cibo. Primo nanque manus ipsas puras, atque mundas efficit: Deinde vero lumina etiam reddit acuta, id est, visus aciem excitat: [1] Et hoc quidem non per se, sed ex

¶ [1] *Strictius enim loquendo, omnis lotio per aquam frigidam, dummodo sanguis, & humores perfecta gaudeant temperie, perspirationem insensibilem excitat, non solum quia sordes pellit, quæ fortasse vasa opplere possunt, verum etiam, quia fibrarum oscillationem auget. Præterea duo corpora, calidum unum, frigidum alterum, in reciproco contactu, sibi invicem, & calorem, & frigiditatem comunicant. Manus enim, nisi integrum corpus, aquæ calorem impertiuntur, qui nonnisi ab insensibili perspirabili, magis fortasse adaucto, pri-*

accidenti. Manus enim instrumenta sunt, quibus purgantur oculi. Quare puras eas, atque mundas esse convenit. Sed de hoc abunde supra cap. 2.

---

venire debet. Adaucta igitur perspiratione, non repugnat una cum reliquis humoribus, & corporis partibus, oculos etiam repurgari, & nitidiores fieri.

CAP. XXIV.

De pane.

PAnis non calidus, nec sit nimis inveteratus,
Sed fermentatusque, oculatus, sit bene coctus,
Et salsus modice, ex granis validis electus.
Non comedas crustam, choleram quia gignit adustam
Et panis salsus, fermentatus, bene coctus.
Purus sit, sanus, non talis, sit tibi vanus.

Duo circa panis electionem tenenda esse, hoc

loco præcipitur. Primum, ne actu calidus ingeratur: talis autem maxime existit recentior, & primum jam e furno extractus, Nam cum leatorem (1) quemdam adhuc retineat, vehementer inflet, visceraque obstruat, necesse est: ideoque ad sanitatem inutilis habetur. Quod 2. Canon. tract. 2. cap. 572. in eum prope modum scribens Avicenna, innuere etiam voluit. Non comedatur calidus, sicut est, quando videlicet e furno extrahitur; hujus enim, quemadmodum, & reliquorum similium usus, propterea quod inflet, & immo-

---

¶ (1) *Constat ex physiologicis, digestionem per salivam, & reliquos humores digestioni dicatos, maxima parte absolvi. Verum panis adhuc calidus, cum magna humiditate præpolleat, ab hisce humoribus nequit compenetrari pro faciliori digestione. Idem fortasse verificatur de Pastillis, aliisque ferculis, qui a farina parantur, & per ebullitionem, ita nimia aqua turgent, ut salivam fere omnem ejiciant. Hinc difficile digeruntur, & post digestionem lentissimum humorem gignunt, unde hypocondria inflant, & anxietatem, gravedinem, & pigritiam causant. Vidi Juvenem, lenta febre cum anxietatibus detentum, alvo adstricto, urina parca, sudore, & perspiratione suppressa per pluros dies, qui ultra satietatem hujusmodi Pastillos comederat, etsi pluries emeticum sumpsisset, & purgationes varias, non vomuit unquam; neque, nisi peracta coctione, decimo octavo die, alvum deposuit.*

dice viſcera obſepiat atque obſtruat, naturæ adverſus, infenſuſque eſt. Hic idem, ut lib. 2. de vict. rat. in morbis acut. aphor. 34. Hippocrates ſcriptum reliquit, & loco citato Avicenna confirmat, manifeſta caliditate, & recenti fuligine ſitim facit, celeriterque vaporoſa humiditate satiat; ſed ſupra ſuſpenditur, & tarde deſcendit. vetere tamen facilius concoquitur; eſt enim humidior. Idque duobus potiſſimum modis cognoſcitur. Primum ex pueris, fere enim ii maxime eo delectantur, utpote ſimili. Alterum teſtimonium ab ætate ſumitur; Nam ſi vetus eſt ſicciſſimus, qui recentiſſimus eſt, eum humidiſſimum eſſe oportet. Qui quidem & ſi victus ſalubris rationi, ut alimentum minus congruit, odoratu tamen præſtantiſſimus habetur. Valenti namque, ac ſuaveolenti vino imbutus, & naribus admotus, cor ipſum mirum in modum recreat, (2)

¶ [2] *Non nutrimur, niſi a partibus extreme tenuiſſimis, quæ a longa, & multiplici digeſtione reſultant; Vapores enim, qui a pane calido aſſurgunt, partes ſatis pro nutritione aptas, continent, quæ naribus exceptæ, nervos, & cerebrum reficiunt. Jam enim nervi olfactorii, cerebro proximiores ſunt, &, exquiſitiori ſenſu donati. Ideo qui animo deficiunt, facilius per odorem diſcutiuntur, quam per alia auxilia, licet valentiora; Cæterum varia perſtant exempla, corpora, per exteriora etiam nutriri poſſe. Vid. Prælect. Boerhaav. tom. 4. de function. cutis pag. 289. Is ergo ſcripſit*

ac roborat, atque hac ſane ratione ſyncope correptis utiliſſime adhibetur. Imo vero & ſolo ejus olfactu vitam prorogari nonnulli memoriæ prodiderunt. Quod proinde a Democrito factum eſſe, Diogenes Laertius lib. 9. in ejus vita his teſtatur verbis: Cum jam ex ſenio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem ſororem, quod ille in celebritate Cereris moriturus, ipſa deæ vota exolvere nequiret; bono animo eſſe juſſit; paneſque calidos ſibi quotidie afferre, eos igitur naribus cum admoviſſet; vivum ſe, dum ea celebritas tranſiret ſervavit. Ubi vero dies illi tranſierunt, tres autem erant, quietiſſime, ac minimo dolore concluſit vitam 109. ætatis anno; Extat ſuper hac re Græcum ejuſdem Laertii epigramma tale.

Καί τίς ἔφυ σοφὸς ὧδε, τίς τ' ἔργον ἔρεξε τοσοῦτον,
ὅσσον ὁ παντοδαὴς μήνυσε Δημόκριτος:
ὃς θάνατον παρέοντα, τρὶ ἤματα δώμασιν ἔσχεν
καὶ θερμοῖς ἄρτων ἄσθμασιν ἐξένισεν.

Quiſnam tam ſapiens viſus, qui tale patrarit
Unquam, quale ſciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præſentia fata dies, &
Illa recens, cocti panis odore aluit.

Plura hac de re Conciliator, differentia 155. & Monardus lib. 18. epiſt. 6. Secundum, ne

---

[Paracelſus] uti totum corpus . . . . nutriri, inquit, homines per plurimos dies admotis ad nudum corpus liquidis embammatibus.

vetustate induratus, sive mucidus edatur. Naturæ enim humanæ, propterea quod nimium exiccet, melancholicumque succum generet, pro alimento non convenit.

SECUNDO loco quinque enumerantur panis electi conditiones. Prima, ut sit bene fermentatus. [3] Siquidem, concoctu, inter panes, ut lib. 1. de aliment. facult. cap. 9. Galenus attestatur, sunt facillimi, qui plurimum sunt fermentati, & pulcherrime subacti, quique in clibano, igne moderato fuerunt assati, Porro, qui fermento omnino caret, nemini prorsus est accommodus. Qui vero parum habet fermenti, hic, juxta Avicennæ sententiam, ubertim quidem nutrit; sed nisi multo exercitio, ac labore fatigetur, qui eo utitur, prompte læditur; Jecoris enim meatus, per quos fertur alimentum, obstruit, lienis imbecillitatem auget, calculos

---

¶ (3) *Pluries dictum est, nutritionem per exilissimas particulas fieri (licet alimenta rudiora sint) quæ, digestioni, omnibusque corporis nostri facultatibus, debentur, sequitur ergo, quod alimenta tenuia, nutritioni accomodatiora sunt. Panis autem bene fermentatus, sub ipsa fermenti actione, jam partium divisionem obtinuit, quæ primam partem digestionis, ut ita dicam, absolvit. Præterea aer, qui in frumento notabiliter continetur, per fermentationem excutitur, & partes rariores relinquit: Hinc, bene fermentatus, sub maxima mole, parum ponderis exhibet.*

denique in renibus gignit. Secunda, ut ſit oculatus, ideſt, rarus, poroſus, & minimum ponderis, magna mole, nobis præſtans: Huic enim viſcoſitatem omnem, ſublatam eſſe, perſpicuum eſt. Parum tamen, ſi Avicennæ credimus, alit, ventrem excrementis implet, (4) & facile per inteſtina deſcendit, quemadmodum ille quoque, qui, quod ex farina, a furfure non ſeparata, & furfure a pura farina non ſepararo fiat, αὐτόπυρος ſive συγκομιστὸς a Græcis, a Galeno vero πιτυρίας, ideſt, furfuraceus, & a Cicerone, cibarius appellatur; Furfur enim, cum nonnihil facultatis habeat abſterſoriæ, merito, inteſtinis irritatis, (5) velox fit ejus dejectio. Iis autem, contrarii, quidem ſunt, panes puriſſimi, plurimum ponderis, exigua mole habentes; omnium vero panum, tardiſſime dejiciuntur. Tertia, ut plurimum ab artifice ſit ſubactus, (6) & in clibano

---

¶ [4] *Ex antedictis liquet, totum in alimoniam abire poſſe, quam excrementis ventrem implere, cum ſit de claſſe ciborum tenuvium.*

¶ (5) *Non video furfur hac facultate pollere; ſed partibus omnino excrementitiis conſtare, quæ cum nullo modo digeri poſſint, & corpus nutrire, tanquam inutiles, una cum reliquis fæcibus ejiciuntur.*

¶ (6) *Atque quo fortius, eo partes melius dividuntur, & attenuantur. Inſuper requiſita coctio, admodum neceſſaria eſt, nam Panis, qui nimiam humiditatem retinet, difficile digeritur, & lentorem gignit, plus quam calidus. Vide ſupra n.* 1.

mediocriter calido, belle percoctus: male namque coctus, cum ægre conficitur, tum ventriculum etiam gravat. Quod Avicennæ etiam testimonio confirmatur, qui loco citato, ita fere inquit: Panis, qui non probe percoquitur; plurimum quidem nutrit; sed si quis privatus, & ab exercitatione alienus, eo uti voluerit, celerrime in obstructionis periculum incurret. Hujus etiam generis est, in patella coctus. Nam partes ipsius intimæ, minus belle elaborantur: Sed de hac conditione, abunde supra cap. 9. in tritico dictum est. Quarta, ut mediocri sit sale conditus; dulcior enim obstruit, salsior exiccat; qui vero in utriusque excessus medio consistit, si ipsi cætera omnia antedicta pariter adfuerint, optimum præbet alimentum. Modus vero salis gustu judicandus est, qui namque in longiori hujus mistura offenderit, pravus existit. Quatenus igitur, gustus, nullum adhuc sensum tristem, ex ea mistura percipit, eatenus, ipsius copiam augere præstiterit. Quinta, ut ex optimis granis, laudatissimo nimirum tritico, sit confectus: de quo, satis superque dictum est cap. 9. Tertio demum loco præcipitur, ut ab esu crustæ (7)

¶ (7) *Quoties panis calidus damnatur, quia propter humiditatem, lentorem facit, sequitur ut crusta, bonos humores producat. Verum consideranti patet, crustam, atque Panem plusquam justo induratum, obstructionem, vel saltem stipticitatem inferre. Nam sicuti calidus, vel humidus, humo-*

panis, propterea quod, choleram adustam, atque succos melancholicos generet, abstineamus; quatenus enim ipsa, adusta, & sicca est, succum etiam inde genitum, adustum, & siccum esse oportet. Quod Galeni testimonio confirmatur, qui in 4. Hipp. lib. de vict. rat. in morb. acut. comm. 103. ita scriptum reliquit: Ob assationem ambusta, tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem sunt inhabilia, choleramque pariunt propter eam, quæ his accidit, acrimoniam. Merito igitur nobiles, qui natura biliosi sunt, utramque sibi crustam, tam superiorem, quam inferiorem auferri a pane curant. Deligenda itaque e pane medulla est: quippe quæ melius, firmius, atque velocius, quam crusta, præstet alimentum: Iis tamen qui sani adhuc sunt, sed ventriculum habent humidiorem, quique extenuari cupiunt, crusta nonnunquam, post alios cibos, vesci conceditur, ut quæ præsumptos cibos deorsum subdu-

---

res pro digestione non admittit, uti eodem num. 1. ita, exiccatus omnes, vel maximam partem absorbet, ut inde possit, pro faciliori digestione, probe dissociari, atque, quia majori humiditate indiget, ut per vasa lactea transeat, viscera exiccabit, unde stiptica fient; Nec non, si humorum defectui, aquæ potus non suppleat, obstructio adorietur. Hinc factum est; omnes Medicos consulere victum durum, & siccum in nimia lubricitate, & levitate intestinorum, ac abstinentia a potu, ut superflua humiditas absorbeatur.

căt, & os ventriculi roboret. Ultimi duo versus optimi, ac saluberrimi panis, quinque notas continent: nempe ut si probe salitus, & fermentatus, ut bene percoctus, ut purus, ac sanus, id est, confectus, ex granis mundis, & validis, ac bonam esse collectis, quæ imbrium multitudine vitiata non sint. Quod Avicenna loco citato iis fere verbis innuere etiam voluit: Oportet, inquiens, ut panis sit mundus, salitus, belle subactus, fermentatus, probe coctus, & hesternus hoc est, post biduum non repositus. Minime præterea silentio prætermittendum, quod major panis portio, ex comparatione semper sumenda sit, ad pisces, herbas, & fructus humidiores, quam ad carnes, & ova: (8) rursus ad carnes major, quam ad ova, & ad mollia ova copio-

---

¶ [8] *Omnes victus animales, quatenus in corruptionem inclinant, sicuti jam notum est, expedit, ut ab oppositis corrigantur, veluti ab illis, qui acescunt, atque a Pane præsertim. Quia vero caro, ova, & pisces, præterpropter, sub parva mole magnam nutrimenti quantitatem comprehendunt, ideo factum est, Medicos antiquiores, correspondentem panis quantitatem denegasse, ne forte, ex repletione, indigestio sequeretur, quod sanum consilium esset, nisi corruptio ex panis defectu eveniret. Qui autem hoc consilium sequuntur, oportet, ut sciant aliis acidis indigere, ad corruptionem arcendam, uti aceto, succo limoniorum, aliisque.*


sior

fiat, quam ad dura. *Additio*. Tritum in scholis Medicorum est dictum, Differtionem utique omnem, incommodam; verum, quæ ex pane fiat, pessimam. [9] Quod sane desumptum est ex 3. 1. doct. 2. cap. 7. Avicennæ, ubi inter reliqua, sic ferme scribit: Panis, impedimentum, ubi non percoquat venter, maximum censeri debet; Carnis vero non ita. In stomacho quippe residet diu, onere imprimis molesto, quod si non concoctus satis tandem dilapsus fuerit, hepar præfarcit, ac meseraicas; Caro autem, majorem

---

¶ [9] *Panis repletio, nulli dubium, maximam adfert noxam, non solum quia lentorem, parit, verum etiam, quia bilis virtutem enervat ob acescentiam suam, & indigestionem longiorem facit, atque aliquando febrem lentam difficilis curationis, ut in exemplo n. 1. citato. A carnis autem repletione, pejora mala sunt timenda, ob corruptionem, in quam vergit, naturæ viribus satis inimicam, atque humoribus, unde febres putridæ, malignæ, petechiales, quæ longe periculosiores sunt, curatu difficiliores. Vidi nonnullos, carnibus nimis indulgentes in acrimoniam alkalinam incidisse, in scorbutum, & tandem in hujusmodi febres. Non ergo verum est quod*: Caro autem majorem ducit cum humano corpore similitudinem, uti infra &c. *Quia vero, caro in corruptionem inclinat, & humores nostri, data occasione, eodem vitio laborare solent, ideo evitanda erit, vel parca tantum quantitate ingerenda.*

ducit cum humano corpore similitudinem, proinde ex ea, minus provenit nocumenti, & hepatis, aut meseraicarum, præfartio levior, ac curationi minus, minusque obsistens, imbibentibus membris longe proclivius, ob cognationem quamdam, carnis succum, quam panis. Hæc Cælius Rhodiginus lib. 5. cap. 36. lect. antiqu. Sciendum præterea, quod panis ex farina cribro succreta, & a furfure repurgata, majus, ac purius præstet alimentum; furfuraceus vero, id est, cui furfuris nonnihil commistum est; minimum quidem omnium nutriat, sed facilius, ceu antea etiam diximus, per alvum subeat. De Pane, plura Galenus lib. 1. cap. 9. & 10. de aliment. facult. & lib. 5. cap. 8. de sanitate tuenda.



CAP. XXV.

De carne porcina.

Est porcina caro, sine vino, pejor ovina,
Si tribuas vinum, fuerit cibus, ac medicina.

Priore versu, carnis porcinæ instituitur cum ovilla comparatio; nempe quod porcina, absque vino sumpta, quam ovilla, pejor habeatur. Porro, quod prava sit ovilla, Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 1. iis confirmat verbis: Agni,

carnem habent, humidiſſimam, ac pituitoſam. Ovium vero excrementoſior eſt, ac ſucci deterioris; Hac ipſa tamen, ſuilla, quæ bonum alioqui ſuccum generat, pejor eſſe, ſi abſque vino edatur, hoc loco aſſeritur. Idque non aliam certe ob cauſam, niſi quod, & ipſa pituitoſam habeat ſubſtantiam, quæ quidem, vino corrigitur, & ad *συμμετρίαν* perducitur. Altero deinde verſu innuitur, eamdem, cum vino ſumptam, ſupra quam quod valentiſſime nutrit, facultatem etiam habere, ceu medicamenti, ut quæ humectando corpus inalteret: Id quod de porcellis aſſis potiſſimum, atque apris, pulcherrime apparatis, intelligendum eſt; Cæterum carnes porcinæ, quæ ſale condiuntur, ac Sole deinde, vel fumo exiccantur (quemadmodum apud nos, in annum reponendæ, a ruſticis, ac plebeis hominibus apparantur) ovillis nihilo meliores cenſendæ ſunt, ſive cum vino, ſive abſque vino mandantur. Quare de aſſatis porcellorum carnibus, ſive aprugnis, hoc ipſum quod hic traditur, eo videlicet, quo diximus modo, accipiendum eſt.

Ilia porcorum, bona ſunt, mala ſunt reliquorum,

Ilia; ſive omaſa, id eſt, pinguiora porcorum inteſtina, cum reliquorum animalium inteſtinis, hoc verſiculo conferuntur, quantumque ad victus ſalubris rationem attinet, aliorum animalium inteſtinis, natura, multo, cum præſtantiora, tum ſuaviora ſunt, ut teſtis eſt cap. 11. lib. 3. de

aliment. facult. Galen. Neque ullius etiam animalis inteſtinis libentius, quam eorum, quæ ſanguine [1] referta, vel pinguia admodum ſunt, veſcimur. Ejuſmodi autem porci, cumprimis habentur. Iam vero, & ſanguis ſuillus, humidus eſt, & minus calidus, humano, maxime temperie ſimilis: ſiquidem, & carnes ſuillæ, humanis ſunt ſimiles. Cum itaque porcorum inteſtina, ſanguine plena [2] ſint, neque aliud animal ex brutis facilius, tum ſaginetur, tum pingueſcat, non absre, inteſtinis ejus libentius veſcimur. De carne ſuilla abunde ſupra cap. 7.

¶ [1] *Nil tam facile in corruptionem abit, quam ſanguis, non ergo minus calidus eſt. Immo dum in motum circulationis agitur, nimis calet, & plus quam homo, a quo per phlebotomiam educitur: interim ſub hoc calore, non ſolum non putreſcit, ſed incorruptus ſervatur; Cum enim in patena quieſcat, abit primum in ſerum, & uberrima pars, ſubſidet grumoſa, quæ etiam liquatur, & putreſcere incipit.*

¶ (2) *Omnia viſcera naturalia, quæ continuo motu exercentur, ut inteſtina, & ventriculus, uti magno robore prædita ſunt, ita nimio ſanguine carent. Robur enim non a ſanguine, neque ab aliorum humorum plenitudine; ſed a nervis, & fibris tendineis venit. Inſuper vis motrix, eſt in directa ratione diſtantiarum a corde; motus vero ſanguinis in inverſa ratione. De carne ſuilla, atque de reliquis in Cap. 7. ſatis dictum eſt.*

CAP. XXVI.

De Musto.

IMpedit urinam mustum, solvit cito ventrem.
Hepatis, ἐμφράξιν, splenis generat lapidemque.

Quinque referuntur hoc loco incommoda, quæ vini recentis, sive musti potum, sæpius excipiunt.

PRIMUM quidem, reddendæ urinæ impedimentum [1] est, quod dupliciter sane intelligendum

¶ [1] *Facilius in debilioribus, non quia pars terrea, vel crassa, per vasa lactea transire possit, & cum sanguine circumvecta tubulos urinarios pervadere, & opplere, quia satis constat, hanc viam rudioribus partibus denegari, solo chylo, & reliquis humoribus innoxiis patere; Verum quia mustum in visceribus etiam ebullire potest, ideo per ebullitionem, maximam partem aeris elastici excludit, qui viscerum calore enormiter rarefactus, ipsa viscera distrahit, & omnia vasa ita comprimit, ut circulationem, & sequestrationem humorum impediat. Hinc ureteres, urinam transmittere nequeunt, nisi ipsi tubuli urinarii ab eadem pressio-*

eſt. Vel enim craſſitudine, quam ex multa terrenæ fæcis admiſtione obtinuit, uſque eo hepar, adeoque renes ipſos obſepit, atque obſtruit, ut urina penitus ſupprimatur; vel certe, conſuetum ejus reddendæ morem, ac ordinem immutat: Id quod de muſtis nonnullis Rhenenſibus; ac aliis quibuſdam ſubtilioribus, nemini dubium eſt. Siquidem fœces eorum, terrena, & nitroſa qualitate præditæ ſunt, atque eam ob rem, ubi in veſicam deſcenderint, ipſam mordicant, urinamque inordinate; ac præter morem conſuetum, profundere cogunt.

SECUNDUM, facilis, ac cita ventris ſolutio; (2) viſcera enim, nitroſa, ſive ſalsa fæcis ſuæ

---

ne ſuffocentur. Ab eadem cauſa, viſcerum dolores; ...a, vomitus, frigus extremorum, & alia hu... ...di.

...2] Vel quia viſcera diſtrahendo debilitat; ...ꝛcſtionem facit, unde venter ſolvitur; vel ... quantitatem, quod muſtum adhuc conti... , ante abſolutam fermentationem depo... autem poteſt, urinam promoveri po... ſupprimi, ob contentum tartarum, cujus ... excretionem facilitandam ſatis con... ...pondetur, quod ad hoc, ut tarta... ...e poſſit, oporteret ab indole mu... ...n turbari, præterquam quod, ... in determinata muſti quantitate ... illud ſatis parva eſt, & ad ... excitat. Præterea idem mu-

onı
uam)
ad ban
Verum re;
diureſim cie.
fermentante, ni
...area, quæ
...te ad
...am

qualitate, abstergens, ad dejectionem incitat: idque præstat; primo quidem fæcis acrimonia, deinde flatuum etiam, quos progignit, multitudine: tertio vero propterea quod, ad coquendum sit difficile; ac stomachum gravet: citò deorsum subit, inferioremque ventriculi meatum, qui Græcis πυλ'ωρός, nobis autem Ianitor, & inferius os ventriculi, Barbaris, Portonarius appellatur, compressum; arctissimeque coactum, & contractum aperit. Quæ de causa etiam, promptius alvum subducat; sed potior tamen, ea est, quod nitrosum quippiam ipsi insit, ac tergendi facultate præditum sit.

TERTIUM, bonæ hepatis [3] temperaturæ noxa; Hepar enim quemadmodum 3. 1. doct. 2. cap. 8. Avicenna confirmat; plurima fæcis commistione, obstruit, flatuum multitudine debilitat, & dysenteriam hepaticam inducit. Pari modo, & καχεξίαν, ac reliquas pravas hepatis ægritudines, diversas, nimirum, hydropis species generat.

QUARTUM, Splenis, ac constitutionis ejusdem offensio: Siquidem hoc viscer, æque ob-

---

¶ [3] *Tam potus, quam alimenta non immediate ad Hepar veniunt, quia ad illud, nulla patet via a ventriculo, & ab intestinis. Venæ tantum mesentericæ, & intestinales, humorem acrem, fortasse redundantem à separatione succi anterici, ad Hepar convehunt pro Bilis præparatione. His ergo positis, nequit hoc viscus infarciri, nisi reliqua; imo, & ipse sanguis, inficiatur.*

ſtruitur muſto, atque hepar; imo vero, & duro inſuper tumore, quem σκίρρον Græci dicunt, haud raro corripitur.


QUINTUM, calculi generatio, [4] & potiſſimum in renibus, qui colore ruber eſt, & friabilis. Hunc, eam maxime, ob cauſam, muſtum generare dicitur, quo ſubſtantia conſtet craſſiore, adeoque craſſitudine renes offerciat; Et hoc vere quidem, de muſto dulcioris vini, cui nitroſæ, ac mordicantes fæces admiſtæ non ſunt, intelligitur. Nam cui eæ admiſtæ ſunt, tantum abeſt a generatione calculi, ut nihil ei magis poſſit eſſe contrarium, [5] quippequod urinam vehementer moveat, ac provocet. Ejuſmodi vero nonnulla ex Rhenenſibus invenias, quæ non modo arenulas ſecum per urinam agant; ſed mejere etiam frequentius cogant; Frequens porro mictio, are-

---

¶ (4) *De lapidum generatione jam quædam dicta ſunt in antecedenti, tom. I. pag. 143. n. 8. atque probatum fuit, omnia eſculenta, & potulenta, quæ ſanguini quamcumque acrimoniam conciliant, calculis, & arenulis quoque primordia ſuppeditare.*

¶ [5] *Vina omnia oligophora, & acida diureſin promovent. (Vid. Cap. 8. n. 16.) ideoque lapidum concretionem non ſolum impediunt, verum, & ſi forte adſint, foras pellunt. Hæc enim vina calorem temperant, & adtritum impediunt, eo magis, quia vix epota, per tubulos urinarios diſſiliunt.*

nulas jam adhærefcentes motu fuo abftergit, & aufert. Quare, &c. Plura infra capite quadragefimo quinto.



CAP. XXVII.

De aquae potu.

Potus aquæ fumptus, comedenti incommoda præftat.
Hinc friget ftomachus, crudus, & inde cibus.

Duplex noxæ genus, inter edendum, aquæ potu, confequi, hoc loco afferitur. Primo namque, ventriculum infrigidat, (1) & relaxat, maxi-

¶ (1) *Quod verificari nequit, quia ftomaci calor a perenni, & continua caufa renovatur, nimirum, ab ofcillatione cordis; quod ei incubat, & folum diftat per feptum tranfverfum; a pulfatione arteriarum, & ab ipfa ftomaci ofcillatione. Aqua frigidiffima, vix epota, continuo incalefcit, & illico per vomitum educta, calidiffima eft. In aquæ penuria, filet fames, & fola fitis molefta urget, atque ciborum faftidium invadit, neque redit adpetitus, nifi prius ftomacus fufficienti aqua irroretur. Verum fi quis, eam, ad naufeam ufque biba-*

meque omnium, cibi adpetentiam dejicit. Deinde concoctionem interrumpens, cruditatem generat; Pendent autem ea, potissimum, ut testis est lib. 7. method. medend. cap. 6. Galenus, ex frigiditate ejus; omnia; cujus culpa, & in præcordiis diutissime moratur, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & ita ventriculi resolvit robur, sic, ut deterius, ob id, concoquat. Proinde eodem in loco Galenus etiam præcipit; ne illico post cibum largius bibatur, videlicet antequam cibus fuerit concoctus. Siquidem innatant cibi, si bibatur, ita ut eos; ventriculi corpus, propter interpositum humorem, non contingat. Quod innuere etiam 3. i. doct. 2. cap. 7. His fere verbis Avicenna voluit. Neque post cibum multa bibenda est aqua, quæ

---

rit; certe ad vomitum concitabitur: Ideo post emeticum assumptum, solent Medici consulere, aquam largiori haustu, bibere, ut vomitus facilitetur. Similiter post prandium; incoatam digestionem, largior aquæ potus impedit, & cruditatem facit; qui vero stomaco validiori prestant, facile ferunt; & non solum ab aquæ potione, verum etiam ab ipso jentaculo bene se habent. Cæterum aqua frigida, glacies, & Nix, digestionem citissime expediunt, & corruptelam avertunt. Quapropter in lautis epulis ultimo loco gelidum limonatum, vel alia similia in usu sunt. In Diarrhæa, stomaci languore, adpetitus defectu, eadem mirabiliter proficiunt, præsertim, si sola Nix, integra deglutiatur

inter ipſum, videlicet cibum, & ventriculi corpus, ſeparationem faciat, & fluctuationis ſenſum invehat. Hoc idem, ſequente etiam capite, nempe octavo, in hunc prope modum ſcribens atteſtatur: Cum a comeſtione, natura concoctioni ſtudet; ſi tantum aquæ exhauſtum prius fuerit, quantum commodæ ciborum permiſtioni ſufficit, tum ea; quæ ſuccedit aquæ potio, inchoatam concoctionem turbat, atque impedit. Idem in Canticis ſection. 2. aphor. 29. & 30. Aquæ potu, in menſa utendum non eſt, niſi ratione adhærentiæ, & tardioris deſcenſus buccellæ; Aqua enim, cum cibo ſumenda non eſt. Quem locum Averrhoes exponens, inquit; Cauſa quidem hujus eſt; quoniam aqua, quæ ſtatim a comeſtione bibitur, antequam ingeſtus cibus a ventriculo, incaleſcat, infrigidat; concoctionem impedit, & cruditatem parit. Eadem etiam cauſa eſt, cur ingeſtus cibus, ventriculo innatet; neque eidem adhæreat, nec uniatur, ut ipſum, ſicuti par eſt, conterat; Actio namque ventriculi in ſumptum cibum fit, conterendo ſimul; & coquendo. Unde ſimile quiddam ſuccedit; quale ſolet, cum multum aquæ in lebetem ferventem infundimus: nam tum, caloris vis; in elixando hebetatur. Ita, & in ventriculo contingit. Nam; & cibi in corpore concoctio; elixationi ſimilis eſt, ut diſerte admodum docet Ariſtoteles lib. 4. meteorolog. cap. 3. & poſt eum Galenus lib. 3. de facul. natural. cap. 7. Exigua tamen aquæ potio, quæ paulatim, & quaſi ſugendo ſumitur, ante cibi deſcenſum, concedi poteſt, nempe ut per

eam, cibi promptius ventrem permeent, & ad inferiora descendant, idque magis adhuc, si sitis etiam molestans ad bibendum urgeat. Exigua enim frigidæ potio, eo, quo diximus, modo sumpta, ventriculum allevat, ac colligit. Allevat quidem, quia sitim extinguit, & cibi descensum promovet. Colligit vero, quia partes ejus in unum cogit. Et hoc, ex locis Avicennæ jam citatis, satis liquet. Cæterum notandum, quod quamvis in depulsione sitis, aquæ, quam vini potus, magis conveniat; omnibus tamen, quæ valetudinis tuendæ sunt, consideratis, vinum haud dubie præferendum est. Nam dato, ac concesso, quod in sitis extinctione (quæ, ex Aristotelis, & Galeni sententia, est appetitus frigidi simul, & humidi, aut alterutrius), aqua in universum sit melior, quia frigida, & humida; naturaliter tamen in cibi permistione, & ejusdem ad omnes corporis partes delatione (2), vi-

---

¶ (2) *Vinum, ad meliorem digestionem concurrere nulli dubium* [*Vid. Cap.* 8. *n*, 2. *tom.* I.] *eo magis si cibi animales fuerint. Non autem verum est ratione, & experientia, vinum, alimenta ad omnes corporis partes deferre: Opus hoc aqua sola adsequitur, quæ vino longe tenuior est, & insigni facultate aperiendi vasa, & concoctos humores diluendi, satis præstat. Inconcussum enim est, nutritionem per tenuissimas partes fieri, & per varias digestiones iterum attenuatas, quas, aqua sola ad omnia corporis penetralia convehit, ipsa*

num præſtantius habetur. Siquidem facilius, quum propter ſubſtantiæ tenuitatem, tum actionis celeritatem, cibis permiſcetur. Quinetiam, natura, eo magis delectatur, adeoque citius attrahit, & aliis cibis permiſcet: idque eo excellentius etiam, quod hæc miſtio, per modum quemdam fiat ebullitionis, quam vinum utique, cum ſit poteſtate calidum, adjuvat: aqua vero ob innatam frigiditatem turbat, atque impedit. Et ſic omnibus perſpicuum fit, vinum in ciborum, tum permiſtione, tum delatione, aquæ perferendum eſſe: quippe quod, ſubſtantiæ tenuitate, & genuina caliditate prompte permeat, & penetrat. Nam, quæ calida ſimul, & tenuia ſunt, facile penetrant: quo fit, ut vinum etiam, quam aqua, magis ad omnes corporis partes deducatur. Aquæ nihil ineſt, poteſtate, calidi, nihil ſubſtantiæ aereæ, nihil igneæ: unde tardiuſcula ſit, & plurimum temporis moretur, [3] adeoque, omnem

---

autem recedit, pro nutritione inutilis. Vid. Cap. 8. n. 16. tom. 1.

¶ [3] *Nihil tam facile de corpore egreditur, quam aqua, & duplici quidem ratione: primo, quia viribus digeſtionis parum reſiſtit, facile diviſibilis, propter parvam cohæſionem ſuarum partium, & facilius per vaſa lactea tranſitura; ſecundo quia, cum in nutrimentum mutari non valeat, expedit, ut excernatur, alioquin intra vaſa retenta, hydropem efficeret. Hanc enim rationem Dynamica probat. Si globuli diverſæ denſitatis a*

cursum impediat, necesse est. Adsignatur præterea, & alia ratio, cur aqua, vino in potu, sit postponenda: nempe hæc, quod aqua, cum per se neque concoquat, neque nutriat; alimenti tamen nutritionem, vel maxime impediat. Atque inde sane, cibi omnes, quanto aqueæ naturæ magis participes sunt, tanto minus nutriunt; Vinum igitur, commodius cum cibo bibitur, quippe quod, non solum, non impediat nutritionem, sed multum etiam juvet: Maxime enim, celerrimeque, tum nutrit, tum instaurat, quemadmodum supra cap. 8. & 11. abunde ostendimus. Insuper, & hoc notandum, quod Aquæ potio, Avicenna 3. 1. doct. 2. cap. 8. teste, non inter edendum modo; sed in aliis quoque certis quibusdam vitæ studiis, noxia existit. Et primo quidem, si jejuno stomacho sumatur: tunc enim libere, ceu nullo retinaculo præpedita, ad prin-

---

catapulta ejiciantur eadem potentia; Qui gravitate majori donantur, longius spatium percurrent, majori celeritate, & in lineam rectam, reliqui, leviores, in lineas divergentes; celeritate quidem minori, brevius spatium describentes. A corde per arterias impulsi, varii globuli egrediuntur, sanguinei, serosi, lymphatici, omnes dispari celeritate, & varia directione: primi per vasorum axim feruntur, & per majora vasa, quæ recto itinere, vel saltem rectiore, progrediuntur; reliqui vero, vasa lateralia ingressi, quæ, utplurimum, in emissaria terminari solent, citissime excernuntur.

cipaliora membra penetrans, insita sua frigidita. te, [4] calorem innatum, aut extinguit, aut certe debilitat. Et hoc potissimum in homine, vere jejuno. Nam ebrio, maximum quandoque leva. men adfert, neque ipse quicquam inde læsionis percipit, si jejunus aquam bibat. Idque, eam ma. xime ob rem, quod jejunus ebrius, non sit omnino jejunus, aut stomacho vacuo, sed nonnullas etiam, tum retinet hesternæ crapulæ reliquias; eas igitur, cum nitrosa qualitate præditæ, ac ob id, perquam molestæ sint, aqua contemperans, stomacho absterget; quinetiam vapores ad caput tendentes, deorsum repellit, ac totum ventriculi habitum in pristinum, quodammodo, statum reponit, corroboratque, ita ut, alimentum rursus adpetat, contineat, & concoquat. Secundo, si ab exercitatione [5] vehementiore, aut statim a

---

¶ (4) *Si statim post potum calorem concipit; (Vid. n. 1.) sanguini enim adfusa, & in circulum acta, fervet fere.*

¶ [5] *In maxima æstuatione, per aquæ potionem, sanguinis motus illico remittitur: Hinc impetus humorum ad cutim minuitur, & perspiratio intra vasa retinetur, dum exitum moliebatur, unde stases, dolores, reumatismum, & febrem etiam parit: non quia aqua, momento temporis, patulos poros attingat, verum quia stomacum invadens, latissima quidem superficie, calorem illico temperat, unde ipsa quoque incalescit, & vasorum oscillationem minuit. Cor, & præcordia ob viciniam*

coitu sumatur: tunc enim pori corporis aperti, ac robur nonnihil dissolutum est: aqua igitur in profundum penetrans, calorem innatum aut extinguit, aut certe deteriorem reddit. Tertio, si mox a balneo sumatur; idque eis potissimum, qui vacuo ventre loti fuerint. Siquidem cutis ipsorum, laxata jam, & meatus immodice aperti sunt: quare aqua, ut dictum est, libere, ac citra ullum obstaculum penetrans, in summum vitæ discrimen, perducit. Hinc est quod Avicenna *l.* 4. tract. 1. Sum. 1. cap. 12. ita fere scriptum reliquit: Ex aqua frigida, quæ jejuno stomacho, aut illico post balneum, sive coitum bibitur, bonæ temperaturæ corruptio & ὕδρωπς timenda est. Quarto, si depravatæ sitis, quæ ebriis sæpe, ac aliis quibusdam, ventri, ac gulæ servientibus, media nocte, aut summo, mane oboritur, depellendæ gratia sumatur. Frigidæ enim potu, tum concoctio impeditur, (6)

---

eodem modo se habebunt. Accidit non raro, post aquæ potionem, sudorem liberiorem promoveri, eo quod, licet motus aliquantulum sedatur, vasa vero magis turgent, ab aqua, quæ a venis bibulis facile absorbetur, dum corpus æstuat, & absorptam arteriis sociis comunicant, quia motus centrum, fit ab intra, extra; Hinc perspiratio insensibilis, potius impeditur, quam augetur, & sudor sequitur copiosior.

¶ (6) *Quoties sitis molesta ab ebrietate, vel crapula producatur, expedit aquam concedere, ne*

tum

tum resolutio, ac dissipatio, vini potentis, vel salsi, aut biliosi humoris in ore ventriculi con- tenti, prohibetur. Quo fit, ut sitis, æque, vehe- mens statim urgeat, & temporis spatio magis augeatur. Proinde hæc sitis, somno tutius pla- cabitur; per hunc enim, humores prædicti, sitim excitantes, concoquuntur, & descendunt, ideo- que, ut subinde cesset sitis, necesse est. Quod si vero sitis vehementior fuerit, quam, ut frigidi aeris inspiratu, aut oris collutione sedari possit, aquæ frigidæ potu restinguenda est: nam melius est, concoctionem aliquantisper impediri, quam multa siti ventriculum accendi, præsertim ex meraciore vino. Aqua igitur frigida, ex vase stricti orificii, sive gracilis (7) colli bibenda est, ut, plurimum temporis moretur in orificio stoma- chi, valentiusque sitim mitiget: ac de ea sæpius etiam, sed paululum sumendum est, ne conco-

---


forte febris accendatur, vel Cardialgia, aliaque huiusmodi. Necesse enim est calorem, a nimio vi- no excitatum, refrigerare; & alimentis digerendis vehiculum præbere, ut facile diluantur. Jam om- nibus notum est, solida alimenta, fluidum corre- spondens requirere pro digestione, ubi vero alteru- trum excesserit, impeditur digestio, sed magis ab aquæ penuria.

¶ (7) *Sanum certe consilium. Verum sufficeret ut modice bibatur, nam aqua pleno haustu epota sub sitis ardore, digestionem turbaret [Vid. nu- mer. I.]*

ctio penitus excludatur. Quinto, generaliter, ac communi ratione, ſanis obeſt, ſi multum aquæ frigidæ bibant: Calorem enim innatum extinguit, pectus offendit, ciborum adpetentiam dejicit, & nervoſis omnibus adverſatur partibus, ut teſtis eſt lib. 15. aphor. 18. & 24. Hippocrates. Prudentiſſime igitur, monuiſſe videtur, quiſquis ille fuerit, qui ita cecinit:

Vina bibant homines, animantia cætera fontes,
Abſit ab humano pectore, potus aquæ.

Veruntamen, aqua temperate frigida, adpetentiam amiſſam revocat nonnumquam; non per ſe quidem, ſed ex accidente. Ventriculum namque, ac una villos ejus in unum cogendo, firmat, ac roborat.



C A P. XXVIII.

De carne vitulina.

SUnt nutritivæ multum carnes vitulinæ.

Laudibus hic efferuntur carnes vitulinæ, (1) eo quod alimentum corpori ſuggerant, non me-

¶ (1) *De quibus ſatis dictum eſt; ſicut pariter de reliquis* [*Vid. Cap.* 8. *n.* 32.]

diocre: Et hoc ſatis ex Avicenna conſtat. Nam 3. 1. doct. 2. cap. 7. inter cætera præcipit, ut cibus, ſanitatis tutelæ conveniens, ſit talis, quales ſunt carnes, & proprie hœdorum, & vitulorum lactentium parvorum, & agnorum anniculorum: ut quæ conſimilis fere ſint naturæ, & facile in ſanguine commutentur. Galenus quoque lib. 3. capite 1. de aliment. facult. Carnes vituli lactentis, ſex, vel octo hebdomadarum, aſſatas, ut optimas, tum ad coquendum, tum ad ſuccum bonum generandum, tum ad nutriendum, commendat, Sed de his abunde dictum eſt ſupra cap. 7. Ideo non eſt, cur hic plura referantur.



CAP. XXIX.

De avibus esui aptis.

SUnt bona, gallina, & capo, turtur, ſturna, columba.
Quiſcula, phaſiades, merulæ, ſimul ortygometra,
Perdix, frigelluſque, ὦτις, tremuluſque, amarellus.

Agitur hoc loco de præſtantia alimenti, quod ab avium genere ſumitur; enumerantur autem quatuordecim; ſed ita quidem, ut inde, & reliquarum judicia, facile colligas.

PRIMA, Gallina est, quo nomine non solum gallinæ juvenes mediocriter pingues; sed galli etiam gallinacei, hoc loco intelligendi veniunt. Siquidem horum omnium caro (ut copiose admodum, differentia 68. Conciliator ex Haly, Avenzoaris, Averrhois, & Meluæ sententia probat) alimenti est, inter aves, optimi: quia facile in sanguinem vertitur, & parum excrementosa est. Caro autem gallinarum, est melior, quam Gallorum, nisi sint castrati. Nigrarum quoque, & quæ nondum pepererunt, est melior, & levior, ut gallorum, qui nondum cojerunt. Miram in corpore obtinet, tum ipsius temperamenti, tum humorum æquandorum facultatem. Iis maxime convenit, qui vitam, in otio, ac quiete degunt, quique leviori ingenio, ac mente sunt. Colorem vividum comparat, vocem clarificat, genitali semini adjicit, & cerebri substantiam auget. Jusculum eorum, optima leprosis medicina est. Ad hæc gallorum, cum gallinis nondum coeuntium testes, deperditas in morbis vires, mirifice restituunt, quam ob causam hecticis, & marasmo laborantibus, morborumque diuturnitate macrefactis, utiliter exhibentur. Insuper, & semen prolificum suppeditant, & Veneneas roborant vires; Decrepitorum autem, præcipue gallorum, caro, nitrosa, & salsa (1), cibo

¶ [1] *Neque nitrum, neque sal in sanguine Gallorum, aliorumque Animalium admitti potest, quia non datur casus, hæc unquam scorbuto quovis*

inepta, medicamentosa est, jure suo maxime; potissimum vero gallorum russorum, qui ad motum sint alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, obesorum, & macrorum medii: quoque vetustiores; eo magis sunt medicamentosi. Plura Mesues lib. 2. de medicament. simpl. purgant. distinct. 1. capite 23. Simeon Sethi in Syntagma, & Avicenna 2. Canon. capite 296.

SECUNDA, Capo sive Capus: hoc nomine, seminarem gallum vocant, cum fuerit castratus: sicuti, & a M. Varrone libro 3. capite 9. & Columella libro 8. capite 2. de re rustica traditur:

---

laborare, præsertim muriatico. Solis Hominibus hæc mala accidere solent, propter errores in victu, ab usu nempe carnis, sale, & fumo exiccatæ; uti in longis navigationibus evenit, & ab ipso aere, qui salsis vaporibus suis, pulmones pervadit, dum respiratur, & totam cutem per insensibilem inhalationem obsidet. Chemici vero, ignis ministerio ab humano sanguine sal, & oleum empireumaticum eliciunt, etiam in optima crasi constituto, quod etiam a sanguine Brutorum elici potuisset, quia ignis virtute sua, omnia dextruit corpora, & nova quidem reproducit, quæ nunquam extiterunt. Verum asseverare possumus, Gallos annosissimos, alkali potius, quam acidum continere; quia facile ventrem solvunt, & jusculа, quæ ab illis parantur, fere virtute specifica, urinam promovent; Unde Hydropicis, tamquam arcanum medicamentum, a medicis præscribuntur.

Hic enim, in cibis gratior eſt, utpote remoto Veneris uſu, pinguior, atque ſalubrioris alimenti redditus. Quare cum voluptate aſſumitur a ventriculo, ac facilius concoquitur. De hoc Platina lib. 5. de honeſt. volupt. Omnium avium laudes, quantum ad obſonia pertinet, una caro gallinacea comprehenſa eſt; quid enim popinis afferunt reliquæ altiles, quod non ùnus Capus in ſe habeat, ſive elixum, ſive aſſum velis? Ejus avis, patina, ſtomachum juvat, pectus lenit, vocem ſonoram facit, corpus obeſat, &c.

TERTIA, Turtur: hujus quoque caro, cibis adnumeranda eſt, nulla omnino ex parte damnandis, qui neque tenues, neque craſſi ſunt, ſed veluti in συμμετρία, omniſque exceſſus mediocritate conſiſtunt. De ea Galen. cap. 7. libri de attenuante diæta, in hunc ſcribit modum: Qui non exercetur, mandendæ ei erunt modice, non modo gallinæ; ſed columbæ etiam, ac turtures, tameſi turtur, temperamento eſt ſicco, (2) & potiſſimum, quæ in montibus degit, itaque, veſci quis poterit eis innoxie; recens (3) tamen tur-

---

¶ (2) *Carnem quæ nimia humiditate turget, facile in corruptelam abire poſſe probavimus (Cap. 8. n. 27.) liquet ergo illam, quæ ſiccitate præſtat, præſervari. Omnes Aves, plus, minuſve ſicciorem, & teneriorem carnem habent. Qua de re dum facile digeruntur, a corruptione præſervantur. Ideo valetudinariis, & ſedentariis conceduntur.*

¶ [3] *Apud nonnullos hic mos invaluit, nul-*

tur, non modo, non est mandenda, sed nec perdix, nec alia omnia, quæ carnem habent moderate siccam, sed ubi unum diem, ad minus suspenderis, ita demum mandas, licet. Porro palumbes, (4) præterquamquod, carnem habent columbis, & perdicibus, & turturibus duriorem; difficilem etiam ad coquendum, & excrementitiam habent. Perdices vero, ac turtures, neque durissimas habent carnes, neque concoctu difficiles, neque pravo succo vitiosas; sed, & ipsarum durities, si mortuæ, uno die asserventur, facile vincitur, fiuntque friabiles omnino, atque inculpatæ; Alimentum enim corpori dant laudabile, sanguinemque minime viscosum generant, & crassi, ac tenuis, medium.

---

lam comedere carnem, nisi prius, per aliquot dies in loco frigido asservatam, hyemali tempore præsertim, credentes majorem teneritatem acquirere. Quod sicuti verum est, ita negari non potest ex adverso, hoc fieri a quodam recondito principio putrefactionis, nam quando fibræ carneæ minus viribus resistunt, & facile solvuntur, tunc imminet putredo, licet a frigore adhuc supprimatur, unde sequitur facilis eius digestio.

¶ (4) *Licet carnem duriorem habeant, nihilominus facile digeruntur, quia ob duritiem, a corruptela præservantur, etiam quia pinguedine carent. Vid. Boerhaav. prælect. acad. tom. I. pag.* 312. Caro Vervecum, Gallinarum, Palumbum cito digeritur, præsertim si cæpas, & allia addideris, aut alia hujusmodi condimenta.

Proinde, quibus salubris cibus caro est, eos, ut arbitror, his uti conveniet. Hæc ille. Plura Galenus in libro de cibis boni, & mali succi capite 5. & Rhazes aphorism. lib. 3. aphor. 17.

QUARTA, quorumdam opinione sturnus est, quem ψᾶρον Græci vocant: avis nigra, albis maculis distincta, magnitudine merulæ. Ejus generi proprium, catervatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus, sicuti ab Aristotele lib. 9. cap. 29. de historia animalium, & a Plinio lib. 10. cap. 24. traditur, Germanice *een Spreen*. Gallice *un Espreviter*. Hispanice. *Estornino*. Galenus lib. 6. cap. 16. de sanitate tuenda, inter perdices, attageñas, merulas, & turdos, quæ quidem boni succi esse, ab omnibus existimantur, sturnos etiam commemorat: cum tamen a multis illaudabilis esse alimenti judicentur, quippe qui, melancholicum, atque viriosum generent succum, [5] & cicuta, quæ venenum esse ab omnibus statuitur, vescantur, ut est apud Galen. lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 17. de simpl. medic. facult. Huic objectioni Aloisius Mundella sic occurrendum putat. Nempe. Galenum in 6. de sanitat. tuend. in calculi renum vitio, sturnos, tanquam

---

¶ [5] *Apud nos nullius fere existimationis, quia sapore, & teneritate, vel quavis alia jucunditate destituuntur. Non vero quia cicuta vescantur, quæ, licet tunc temporis, venenum credebatur, hodie in medicinæ usum feliciter conversa est.*

tenuis alimenti approbasse, itemque palumbes, & passerculos, qui in turribus nidificant, πυργίτας Græci vocant; Vel sturnos, non ita fortasse, improbi succi esse, præsertim juvenculos, ut vulgus putat: quædam namque sunt animalia, quæ adhuc in tenella ætate existentia, boni sunt succi, ut vituli, & hœdi; si vero annosa fiant, pravi. Hæc enim, ut ait Galen. lib. 3. de aliment. facult. cap. 1. & concoctionis, & boni succi, & nutritionis laude carent. Multo autem magis, Galeno credendum est, quam vulgo, ita inconsulte aliquam generalem proferenti sententiam. Neque etiam, quod venerio pascantur, ab horum esu abstinendum est. Nonnulla enim animalia sunt, quæ licet venenis quandoque nutriantur, boni tamen sunt succi, quemadmodum de sturnis, jam commemoratis constat. His enim cicuta nutrimentum est, homini medicamentum, imo etiam venenum. Siquidem sturnorum natura, cicutam in substantiam suam vertere potest, quod hominum non potest; Sunt tamen, quibus Starna (6) hoc loco magis arrideat, ut per eam avis accipiatur grandiuscula, magnitudine anseris, colore cinereo, cujus caro succi sit laudabilis, præsertim juven-

¶ [6] *Avis numquam satis extollenda, tum quoad saporem, tum quoad substantiæ bonitatem, quæ simul digeritur, ac in bonum nutrimentum abit. Hinc Principibus tantum, de ea vesci datum est.*

culæ. Atque ita ſane Rhazes lib. 3. ad Almanſorem cap. 10. intellixiſſe videtur, ubi hanc, reliquo avium generi præferens, in hunc prope modum, ſcriptum reliquit: Starnæ caro, inter aves leviſſima, atque his, qui attenuante victus ratione delectantur, convenientiſſima invenitur. Vel per Starnam, avis forma, & magnitudine puſillæ perdicis intelligenda eſt. Sic Rabbi Moſes accepiſſe videtur, ita ad Iudæos inquiens: Pari modo, nec ſtarnæ domino noſtro convenire putandæ ſunt, quia ventrem conſtringunt. Sed hanc proprietatem alii, ipſis perdicibus adſcribunt. Nam carnes earum, ſicuti a Simeone Sethi, & Rhaze loco paulo ante citato, aſſeritur, ventrem ſiſtunt. Quinetiam Baldachus quidam, non contemnendus auctor, ſtarnas mirifice commendans, tabula 15. de rebus non naturalibus, ita fere ſcribit, Starnæ, phaſianorum, ac perdicum naturæ propinquæ ſunt, & ſecundum ordinem ſeſe in temperamento, & ſubtilitate habent; Præſtantiſſimæ enim ſunt ſtarnæ, mox phaſiani, deinde perdices, ut quæ reliquis, excellentius deſiccent. Docet præterea Ioannes Michael Savonarola, ab harum trium eſu, abſtinendum eſſe, tum iis, qui quamlibet actionem fortem, ac vehementem obeunt, tum ſanis etiam; ut ſi quando morbus aliquis inciderit, habeant quod ultra conſuetudinem ad edendum invitet.

QUINTA, columba: avis vulgo nota, quæ cum bilioſam [7] admodum habeat carnem, ſan-

---

¶ [7] *Neſcio qua ratione vulgus credat, Co-*

guinem moderatò craſſiorem, & calidiorem neceſſario gignit: atque ob id, febres nonnunquam facit. Quare in paſtillis potius; cum aceto, aut omphacio, & coriandro præparata, quam aſſa, mandenda eſt; ita namque exuperantia caliditatis ejus, ad σύμμετρίαν, commoderationemque reducitur. Renes frigiditate dolentes juvat; ſemini genitali, & ſanguini adjicit; ſed caput atque oculos lædit: Quinetiam lepram, ſi frequentius uſurpetur, generare fertur. Non minimum vero reliquis, pulli ejus volucres; tum ſucci probitate, tum concoctionis facilitate præſtant; involucres enim, calidam, ac humidam habent carnem, atque excrementitiam, & maxime domeſtici. Ex columbis enim, ut Oribaſius tradit libro 4. ad

---

lumbam felle carere, cum revera nullum detur Animal, quod hoc humore, tam neceſſario vitæ functionibus, deſtituatur. Simili modo, neque credendum eſt, ita Bilem in ea abundare, ut bilioſam carnem dare poſſit, quod ſi verum eſſet, ſequeretur facilis corruptio, & a corruptione, facilius febris produceretur: Jam enim, uti conſtat, omnis caro in corruptelam inclinat, eo magis, ſi Bilis abundaverit, quæ plus, quam caro ipſa putreſcit. Ex adverſo experientia compertum habemus; omnes Aves, plus, minuſve facile digeri, & bonum alimentum tribuere. Verumtamen Pulli, guſtu delicatiores ſunt, ſed quia pinguedine abundant, facile ranceſcunt, & quia carnem teneriorem habent, in corruptelam abire poſſunt, niſi illico digerantur.

Euſtathium capite 1. agreſtes, domeſticis præſtantiores ſunt, & omnino, agreſtia, domeſticis præcellunt. Electiores quoque pulli ſunt, per Ver, & Autumnum, quam per Aeſtatem; atque Hyemem, excluſi, fotique. Porro antiquæ, & annoſæ, non ſolum columbæ, verum, & turtures, tum ob caliditatis, & ſiccitatis exceſſum, tum vero, & coctionis difficultatem, vitandæ ſunt. Plura Simeon Sethi in Syntag. Rhazes libro 3. cap. 10. ad Almanſ. Avicenna lib. 2. Can. cap. 135. & Averrhoes lib. 5. collectaneor. cap. 32.

SEXTA, Quiſcula: vulgare nomen a ſono fictum. Neoterici Qualeam vocant: Latinis [ut Feſtus ait] dicta eſt Coturnix, itidem a voce, a qua multis avibus nomina indita ſunt, ὄρτυξ a Græcis appellatur; Germanice, *ee Quackel*. Gal. *une Caille*, Hiſp. *Codorniz*. Caro ejus juxta Averrhois ſententiam, temperata eſt, ad caliditatem tamen paulo propenſior, ac tenuis ſubſtantiæ, optimique ſucci: quare ſanis, ac iis, qui convaleſcunt, alimentum eſt, ad bonam valetudinem accommodatiſſimum. Verum Pſello, Iſaaco, atque aliis quibuſdam, non aſpernendis Medicinæ ſcriptoribus, Coturnix avis eſt; tum ad concoctionem, tum ad ſucci bonitatem inhabilis: ut quæ, & veratrum comedat, & morbo comitiali (8) corripiatur: unde Avicenaa 2. Canon. cap.

¶ (8) *Vidi aliquando Coturnicem, cardialgiam, vomitum, Diarrbeam, excitaſſe, morbum comitialem vero numquam; quod non ab indole propria*

153. ab ejus esu suadet abstinendum, veluti a tetanum, & spasmum, inducente. Ubi notandum tamen, Avicennam, non ob id solum, coturnicis cibum improbare, quod elleboro nutriatur; sed etiam, quod talis facultas, spasmum, ac tetanum generandi, illius insit substantiæ. Hac ratione igitur Galli, coturnices, cum molli, ac pingui caseo pastillatas, edere consueverunt. Potest etiam per coturnicem, intelligi alia quædam avis, perdice aliquantulum major, genis, rostro, & pedibus rubenti colore, (9) reliqua vero pennarum facie, ad leucopæum vergente, quæ Italorum vulgo Coturnix appellatur: estque de Alpinarum volucrum genere, & in sylvestribus, & frigidis locis, montibusque versatur, & degit, neque ab Italicis regionibus unquam recedit. Cujus

---

substantiæ; sed a seminibus, sive herbis mali moris, & fortasse venenatæ naturæ, quorum succum, adhuc in intestinis retinebant dum enecatæ fuerunt. Cæterum, licet utplurimum purissimo, atque electissimo cibo vescantur, nihilominus rudi carne, & graveolente constare videntur, quæ neque gustum allicit, neque bonum nutrimentum præbent.

¶ [9] *Quæ vera Perdix esset, nisi solo colore differret: nam* leucophæon, *est compositum, ex albo, & nigro simul commistis, & per parvas maculas vix conspicuas dividuum, reliqua demum descriptio illam esse denotat, tum circa locum, quem degit, tum quia ab his nostris regionibus, ad alias non transit.*

avium ſpeciei apud veteres fuerit, nondum ſatis compertum habetur: ſed ex guſtu, & odoratu, & loci natura, in quo continue commoratur, & ex iis, quibus paſcitur [nam illa grati admodum ſunt odoris] boni, & laudabilis eſſe alimenti judicanda eſt, & propterea in cibis merito expetenda. Quo ſane modo Rhazes etiam lib. 3. cap. 16. Ad Almanſ. coturnicem accepiſſe videtur, cum ei ſecundum poſt ſtarnam, bonitatis locum tribuit. De utraque coturnice, cum plurima, tum cognitu pulcherrima habet Aloiſius Mundella epiſt. *6*.

SEPTIMA, Phaſianus: (10) quem a Phaſide amne apud Colchos, ubi primum cognitus eſt, ita nuncuparunt. Hæc eſt, decantata omnium libris, avis, quam, primam fere, in menſis eſſe judicant, propter carnis bonitatem, a qua medicinæ profeſſores, veluti a ſcopo, de temperamentis ciborum, judicia auſpicantur; ſucci enim probitate, & jucunditate, longe cæteris antecellit, neque ſolum ad victus ſalubris rationem, verum, ad robur quoque conciliandum, accommodatiſſima eſt. Caro enim juvenculi, ac pinguis, convaleſcentibus, & morborum diuturnitate macrefactis, optimus cibus eſt. Sed ob nimium, atque immenſum pretium, Principum duntaxat menſis, atque magnatum dicata eſt. Meminit Phaſiani

---

¶ (10) *Nunquam ſatis extollendus, ab illis ſaltem, cujus guſtui dicatus eſt. Alii vero, vix ejus nomen norunt, ſaporis omnino ignari.*

Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 18. sic inquiens: Caro Phasianorum, quod ad concoctionem, & nutrimentum attinet, gallinis est similis; voluptate tamen in edendo superat, quia, & sicciore constant temperamento, ut qui, in sicciore degat aere, & magis exercetur. Lege plura de hoc, apud Simeonem Sethi, & Rhazen aphor. lib. 3. aphor. 13.

OCTAVA, Merula: quæ quidem avis est, nigro pennarum colore, rostro rutilo, & sturni magnitudine Κόττυφος a Græcis dicitur, Germanice, *een Merle*, Gallice, *une Merle*, Hispanice, *Mierla*. Quanquam vero hæc, a Galeno, Oribasio, atque Aegineta, inter optimi succi alimenta connumeratur, carnem tamen, quam perdicis, & attagenis est, duriorem obtinet. Quare & ipsa, juvencula, ac pinguis, mandenda est. Turdi quoque, & reliquæ id genus aviculæ montanæ, omnes in hanc classem referendæ sunt.

NONA, ὀρτυγομήτρα: [11] ea avis est turturis magnitudine, pennarum colore, nequicquam a coturnice differens, rostrum longius est, & acutius, crura, pedesque, satis etiam, pro ratione longos obtinet, quinetiam frugivora est, & advena, antequam coturnices, haud uspiam

---

¶ [11] *Avis notissima, licet advena, quæ Coturnices sequitur, & earum Rex appellatur, quæ cum apparuerit, illæ jam desinunt. Eius caro nil boni habet, neque coturnicibus anteponenda est, nisi prorsus sit deterior.*

audias: neque coturnices te amplius visurum speres, ubi hæc audiri desiit. Vox mirifica est coaxantium ranarum clamori non absimilis, nisi quod subtilior multo, & acutior sit. Caro ejus optimum gignit succum, ubi per diem suspenderis. Gybertus Longolius in eruditissimo suo de avibus Dialogo, eandem esse putat cum λοκραμω, quem Screcum Germanice, id est, *een Smertze ofte Screcke* nuncupamus, ὀρτυγομήτρα autem Græcis dicta est, quod coturnicibus per maria, terrasque advolantibus, dux, & rex itineris esse soleat, ab ὄρτυξ, idest coturnix, & μήτρα, id est, matrix. Plura Aristoteles libro 8. capite 12. de historia animal. Plinius lib. 10. capite 23. natural. histor. Solinus capite 18. & Athenæus lib. 9. dipnosophist.

DECIMA, Perdix, [12] hujus quoque caro medii fere temperamenti est, & concoctu facilis, probumque succum gignit; præsertim, si non illico post occisionem; sed unum ad minus diem, suspensa comedatur. Sic enim, quod durum in se continet, abjicit, & friabilis redditur, quemadmodum ex Galeno paulo ante ostensum est. Sanguinem copiosum, ac tenuem generat, adeoque crassiorem, si forte in corpore invenerit,

---

¶ (12) *Cujus caro sanissima est, & optimum nutrimentum dat, licet aliquantulum duriuscula, ideo facile a corruptela servatur, unde otiosis, & stomaco debilioribus consentanea* [*Vid. Cap.* 22. *num.* 7.]

exte-

extenuat: (13) idque alæ potiſſimum præſtant: quæ, ut in reliquo avium genere, ita in hoc quoque, facilius concoquuntur. Et uno verbo, optimæ quidem alæ ſunt, avium juvenum ſaginatarum, peſſimæ vero, macilentarum, & antiquarum. Alimentum autem perdicum, optimum eſt iis, qui ſe non exercent, & qui vitam degunt otioſam, quique imbecilliores, & invalidi ſunt, tum etiam attenuante victus ratione aſſuetis, & hydropicis, quique humido ſunt ventriculo; Vitioſos enim, & corruptos ipſius humores conſumit, atque abſtergit. Memoriam, aſſidue manſa, corroborat, impinguat, ſemen auget, & Ventrem ſtimulat, ſed eundem cohibet: unde accommodatiſſimum diarrhœa [14] laborantibus ſit

---

¶ [13] *Fortaſſe relate ad carnes animalium rudiorum, quæ dummodo non corrumpantur, (quo caſu omnes humores eodem vitio quoque laborarent) ſanguinem craſſum, & lentum efficerent, præſertim in debilioribus, & otioſis. E contra, non videtur lentores, ita in corpore attenuare poſſe, ut idem, imo melius, per victum tenuem vegetabile obtineri non poſſit.*

¶ (14) *Non credo, dummodo a corruptione fuerit producta. Probabilius vero curatur eju carnis, ſi cauſam cognoverit ab acido, cui caro omnis directe opponitur. Hæc autem etiam in ſanis aliquando ventrem ſolvit; non ergo Diarrhæam curare poteſt. Ideo in Textu:* Ventrem ſtimulat; ſed eumdem cohibet, *quod de omni carne credere*

edulium, si assa, cum aceto ingeratur. Medulla cum vino præsumpta, ictericos sanat. Jecori, comitiali morbo correptis, auxilio est. Fel quoque suffusionibus oculorum a principio mirifice prodest; facit, & ad ipsorum hebetudinem. Si tempora, singulis mensibus, eodem felle perungantur, memoriæ confert. Plura Galenus libro 3. capite 18. de aliment. facult. & libro 8. capite 2. method. medend. & Simeon Sethi in Syntag.

UNDECIMA, Frigellus: Ea, ex turdorum genere, avis est, cujus Aristoteles lib. 9. capite 20. de historia animalium, tres constituit species. Una viscivora, quæ nisi visco, & resina non vescitur, & magnitudine paulo minor, quam pica est: Germanice, *een Krammetuebel*. Altera pilaris, quæ sonum ædit acutum, & magnitudine merulæ est. Vulgo *een Drossel*. Tertia, quam iliacam vocant nonnulli, minima inter has, minusque maculis distincta, a Germanis *een Wyn. drossel* nuncupatur: de qua sane intelligenda sunt, quæ de frigello hoc loco dicuntur. Hæc utrinquæ juxta oculos, & in pectore, & in ipso alæ flexu, intus, & foris maculas habet latiusculas, rubras. Primum genus, non nisi hyeme, apud nos cernitur, aut si videatur, rarum est. Secundum per totum annum apparet, maculoso

---

possumus. De reliquis vero Avibus nihil superest. Verum si quis eorum accuratiorem notitiam voluerit, adeat Auctores, qui de illis ex professo tractant.

valde pectore, & cantus sui gratia a multis in caveis alitur. Tertium per æstatem apud nos nusquam videtur, sed vindemiæ tempore, atque instante hyeme, primum cernitur, adeoque ob id, frigellus, nempe quod adventu suo frigus instare prænunciet, nominatur. In vineis potissimum reperitur, ac dulcium uvarum esu, sæpius inebriatur, velociter volat, & optimi est succi, præsertim circa festum omnium Sanctorum. lege Guilielmum Turnerum in libello de avibus.

DUODECIMA, Otis, quæ, & ipsa in cibis gratissima, atque optimi succi est, nempe ex sylvestrium gallinarum genere perdicum similis; sed obesitate, corporisque pondere parum se alis tollit; quapropter canibus se obnoxiam quodammodo cognoscens, ad eorum latratum extemplo prorepit, sese latitans inter frutices: lege Ælianum, & Oppianum: Gylbertus Long. eam esse adserit, quam bonosam vulgo, nuncupant, Germanice, *een Haselboen* nuncupamus, Gallice, *une Ostarde*. Hispan. *Abutarda*. De qua Galen. libro 3. de aliment. facult. cap. 19. & Atheneus libro 9. dipnos. Sunt tamen, quibus orex, hoc loco magis placeat, ut gallina phasiani, per eam accipiatur. Allii vero gallinam aquaticam interpretantur. Sive igitur gallina sit aquatica, sive phasiani, caro ejus, bonum gignit succum.

DECIMATERTIA, Tremulus: quæ quidem avis, est fusco pennarum colore, magnitudine, quam gallina minor, velocissimi volatus, alte vociferans, ac clamosa, in cujus capite crista

plumea, ex earum avium genere, quas σεισοπυγίδας Græci vocant: caudam enim, cum pedibus incedit, assidue quatit, & ob id tremulus vocatur. Semper fere juxta maria versatur. Ne quis parvam illam aviculam, longæ caudæ, quæ *Codatremula* vulgo, sive motacilla, & Germanice *een Bachesi Water Steliz* dicitur, per tremulum, hoc loco, intelligendum putet. Huc etiam referri posset (si non eadem est) avis quædam cornice minor, plumis fere viridibus, & nigris, per totum dorsum, caput, & collum: ventre albo, longa, & semper erecta in capite crista plumea, alis obtusioribus, & inter volandum, magnum strepitum edentibus, unde, & vannellus a barbaris dicitur, clamosa admodum, & quærula: quæ aquis vermium gratia, quibus solis victitat, appropinquat, sed ipsas non ingreditur, in planis, & locis circa consitis plurimum degit, Teutonice, *een Kievit*.

DECIMAQUARTA, Amarellus avis aquatica, forma, perinde, ac anas, sed minor: Ab Aristotele lib. 8. cap. 3. de animalium histor., Bosca appellatur, Germanice, *een Smelente*. Illud porro nosse in universum expedit, quod præstantius alimentum ab iis sumatur, avibus, quæ volatu magis nituntur, celeriusque volant. Et quemadmodum prædictarum avium caro concoctu facilis, & ab bonam valetudinem accommodatissima, sic e diverso, quorundam, excrementia est, ac mali succi, multoque ad coquendum difficilior, atque inæqualis temperamenti; ejusmodi imprimis existit pavonum, anserum, gruum, ma-

lardorum, & quotquot oblongum habent collum, ac rostrum, inque paludibus nutriuntur. Huc, quod ad succi pravitatem attinet, passeres etiam referendi sunt, qui in turribus nidificant, pyrgitæ appellati: nam, & calidissimi sunt, & longius a temperamento recedunt, ac durius alimentum dant, Veneremque impensius stimulant. Circa electionem vero alimenti, quod ab avium genere sumitur, sciendum est, juxta diversas præstantioris alimenti proprietates [si ejus quod nutritur, sanitatem vel robur spectes] carnes varie laudari. Sic Galenus, ad facilem concoctionem, & subtilitatem respiciens, bonitatis palmam perdicibus attribuit. Rhazes, & Isaacus, ob levitatem, & subtilitatem, starnam prætulerunt: Idem quoque Isaacus, diversa ductus ratione, diversarum avium carnes laudavit. Avicenna turturis carnem, quod mentis aciem, atque intellectum roboret, mirifice commendat. Avium porro omnium volucrium genus, paucissimum præstat alimentum, si ad genus gressilium conferatur, potissimum si ad suillam, qua non aliud invenias, quod copiosioris sit nutrimenti; volucrium tamen caro, ad coquendum est facilior: quare iis, qui neglecto corporis exercitio, consiliis potissimum, & studiis, ac contemplationi vacant, convenientissima est, præcipue perdicis, attagenis, columbæ, galli gallinacei, & gallinæ, quemadmodum libro tertio de aliment. facult. capite 18. Galenus testatur; Sanguinem enim procreat clarum, atque mundum, & spirituum generationi, ac mentis exercitiis, & intellectui ap-

tissimum. Siccius namque alimentum, quale dictarum avium est, studio, contemplationique intentis convenit; Siccitas enim, prudentiæ familiaris est, sicuti luculenter, & perspicue docuit Galenus in libro, cui titulus: Quod animi mores, corporis temperaturam sequantur, cap. 5. lege plura apud eundem libro 8. capite 2. method. medendi, & in libro de attenuante diæta cap. 6. De attagene, quem *een Birchoen* Germanice vocamus, pulcherrima quædam, & scitu dignissima, Gybertus Longolius in dialogo de avibus prodidit.



CAP. XXX.

De piscibus.

SI pisces molles sunt, magno corpore tolles.
Si pisces duri, parvi, sunt plus valituri.

Hic duæ traduntur laudabilium piscium notæ. Pisces enim, aut dura carne, suapte natura sunt, aut molli. Ex his igitur, qui molles (1) sunt,

¶ (1) *Pisces ob flaccescentiam propriæ substantiæ facile corrumpi posse ex cap. 22. n. 7. clare*

vetuli, junioribus præstant. Carnis namque mollities, pro modo humiditatis respondet, quæ crudior in novello pisce; in vetulo vero concoctior existit. Quare novelli pisces, lento, ac pituitoso succo magis, quam vetuli abundant. Atque hac certe ratione nonnulli, anguillam etiam vetulam juniori præferunt: Ex iis vero, qui dura carne præditi sunt, juniores longe præstantiores, & concoctu faciliores habentur; ejusmodi porro lucii, cum primis sunt, & percæ. Carnis enim durities concoctioni resistit. (2) Quæ sane sententia

---

satis constat; quapropter duriusculi, mollioribus sunt præferendi, non solum quia a putredine plusquam reliqui distant, sed etiam quia magis delectant, & efficacius alunt. Ob eamdem rationem inter molles eligendi sunt annosiores, quid quid de junioribus dici possit, quatenus minus corruptibiles.

¶. (2) *Melius putrefactioni; stomachus enim in suo vigore constitutus, citissime alimentorum digestionem absolvit, eo magis, si alimenta tenuvia fuerint, & flaccidæ substantiæ, quia minus viribus digestionis resistunt. Hæc eadem in stomachi languore, mora, & quiete, putrescunt, quia protinus non digeruntur [eod. Num. sup. cit.] Piscium tandem species variæ sunt, non omnibus notæ. Hic autem dixisse sufficit, quod omnes, qui squamulis teguntur duriori substantia constant, & quoad saporem, & nutrimenti bonitatem, omnibus præstant. Qui enim tenui, & molli membranula*

ex 2. Canon. capite 555. Avicennæ desumpta est, ubi sic ferme scriptum reliquit: Ex piscibus dura carne præditis, eligendi sunt minores; ex molli vero majores, ad terminum aliquem. Plura Galenus libro 3. de aliment. facult. cap. 29. & 30.

Lucius, & perca, & saxatilis, albica tencha,
Gornus, plagitia, cum carpa, galbio, truta.

Hic decem recensentur pisces, quorum alimentum, hominum corporibus saluberrimum esse putatur.

PRIMUS, Lucius est: piscis vulgo notus, qui, quod non modo in alterius; sed suæ etiam speciei pisces, grassetur, tyranni appellationem, vulgato versiculo sortitus est.

---

teguntur, carne sunt duriores; imo aliquando atro sanguine abundant, & ventrem enormiter solvunt, quia sanguis ipse putredinem provocat; [Vide capite 25. numero primo] Adsunt verumtamen quidam Pisciculi, qui licet squamulis careant, nihilominus satis bonitate præstant, & facile digeruntur, sanguine prorsus destituti, & nunquam crescunt. Præstant pariter, qui dura testa teguntur, & licet a corruptione servantur, ægre digeruntur, & comodum afferunt nutrimentum, satis durabile.

Lucius est piscis, rex, atque tyrannus aquarum. Natatu velox, ac duræ carnis est, sed omnium medicorum judicio εὔπεπτ𐅾, atque optimi succi, Germanice, *een Hecht ost Snocke*. Gall. *un Brochet*.

SECUNDUS, Perca: qui branchiis subruffus est: dorso, spinis armatus: unde ἀκαυθοσεφῆ, εἶναι, καὶ ποτκιλοκροκ ex Aristotele Athenæus scribit libro δειπνοσοφιστῶν capite 7. Duræ quoque carnis est, & vulgo cognitus, Germanice *een Baers*. Gall. *une Perche*. Porro alimentum, quod ex eo sumitur, non modo ad coquendum est facile; sed gustui etiam gratum est, atque hominum corporibus saluberrimum, ut quod sanguinem, medium consistentia, generet. Medium autem voco (inquit Galen. lib. 4. de aliment. facult. cap. 27.) qui neque admodum tenuis est, neque aquosus, neque vehementer crassus. Unde maximo in pretio, hic piscis semper est habitus. Ausonius in Mosella, sic de eo canit:

Nec te, delicias mensarum, perca silebo;
Amnigenos inter pisces, dignande marinis,

Quamque certe, τὸ περκὴ antiquissimis etiam Græcorum, usitatum sit; reperiuntur tamen, quibus per ἀντίφρασιν, quod nulli piscium parcat, a parcendo, sic dictus esse videatur: ut qui iratus alios pisces pinnis suis, quas supra dorsum habet, vulneret. Qua ratione a Lucio quoque immunis est. Imo, ut Albertus refert, naturalis quædam lucio cum perca amicitia est; læsus enim Lucius, non tam facile a quovis alio piscium sanatur, quam a perca.

Solum igitur, liquidis percam, laceratus in undis:
Vestigat, lustrans, solum hunc, medicamine poscit.

Qui sic inventus, vulnera ejus tangendo lenit, atque sanat.

TERTIUS, Saxatilis: quo quidem nomine, piscis a nonnullis, hoc loco accipitur, ex eorum numero, qui parvi perpetuo manent, Latine etiam fundulus, & Germanice *een Gründel* nuncupatur. Cujus alimentum [licet squamis careat] ad voluptatem, concoctionem, simul ac distributionem; & succi bonitatem, præstantissimum est. Multos tamen invenies, quibus Saxaulus potius, sive saxaulis, hic legendum esse videatur, ut hoc nomine, ex planorum piscium genere eum intelligamus, qui βούγλωττος, καὶ βούγλωσσος a Græcis dictus, hodie γλῶττα nuncupatur. A Varrone & Plauto lingulaca, a linguæ figura; quæ Græcis est γλῶττα, cui βοῦ particula addita est, ut magnitudinem potius, quam bubulæ linguæ figuram significet. A Plinio Solea. Itemque ab Ovidio, in Halieutico.

Fulgentes soleæ candore, & concolor illis, Passer.

A figura Soleæ, quæ solo pedis subjicitur, Germanice, *een Tonge*, Gallice, *une Sole*, Hispanice, *Lenguado*: qui, & ipse, inter marinos pisces, alimenti est haudquaquam contemnendi: Gal. lib. 3. de aliment. facult. cap. 29. similes quodammodo inter se, esse passerem, & Soleam scribit, non tamen omnino ejusdem esse speciei: Soleam enim molliorem esse, ciboque suaviorem; ac in totum, passere præstantiorem. Suavitate quidem, alimenti copia, succi bonitate, Solea

præſtantior eſt, at carne duriore, ſolidioreque eſſe, experientia, ſenſuſque convincunt. Plura Gulielmus Rondeletius lib. 11. cap. 11. de piſcibus marinis.

QUARTUS, albica, qui, & ipſe marinus, reponendus in numerum ſale conditorum, & in fumo deinde, vel in aëre exiccatorum, qui a baculo, quo ante coƐturam contunduntur, *Stocviſch* Germanorum lingua appellatur. Albica autem ex eo diƐtus videtur, quod molli, humida, atque candida admodum ſit carne: unde Germanice quoque, *een Weiſzling* & Saxonice, *een Weittig oft Weitling* nominatur, Italis Mollo a carnis mollitie, Gallis Merlus, Aſellus eſt Veterum, vel ei omnino cognatus, ex Geſneri ſententia, & pro bono gratoque cibo habetur.

QUINTUS, Tinca, vel tencha: piſcis aquæ dulcis, notus, pelle lubrica mucoſa, ad nigredinem tendente, ac carne dura: unde ab his tribus, nempe lucio, perca, & tinca, poſt coƐtionem, pellis auferri ſolet. Auſonius in moſella vulgi ſolatium vocat, quod pauperibus tantum apponatur. Excrementitius eſt, & totus lutoſus. Teutonice, *een tinche*, *ſcheleibe*, *oft ſcleig*, Gallice, *un Tenche*, Hiſpanice, *Tenca*.

SEXTUS, Cornus, gornatus, ſive gurnadus piſcis marinus albus, atque minimus, medii digiti longitudinem non excedens: una cum capite, ac ſpinis manditur, Teutonice, *een voerne*.

SEPTIMUS, Plagitia: piſcis marinus planorum generi ſubjiciendus, rhombo figura ſimilis, ſed contraƐtior, lingulaca latior. Hic piſcis lu-

pina parte albicat, prona fuſcus eſt, & terrei coloris, inſtar paſſerum avium, unde a Latinis paſſer etiam dicitur, a Græcis ψῆττα Guilielmi Rondelet. lib. 11. capite 7. Germanice, *een Pladiis*, Gallice, *une Playe*.

OCTAVUS, Carpa, ſive Carpio: Cyprinus, quorundam opinione: piſcis fluviatilis, notus ſquamoſus, cujus caro excrementitia eſt, ac mucoſa, quare a magnatibus in vino decoquitur. Ita namque, multo quam ante, præſtantior evadit: quicquid enim mucoſum, aut viroſum guſtu refert, id totum deponit, Germanice, *een Carper*, Gallice, *une Carpe*.

NONUS, Galbio: piſcis marinus, notus, cartilagineus, corpore tenui, & in ampliſſimas alas expanſo, Raja Latine dicitur, & a quibuſdam Rochetus, ſive Rochus, a Græci βάτος, καὶ βατις a rubi, quem βάτον vocant, ſimilitudine. Quemadmodum enim ſpinoſus eſt, aculeatuſque rubus, ita raja omnis, aculeis aſpera; non quidem toto corpore; ſunt enim λειοβάτος ideſt leves, rajæ, quibus nulli ſunt in corpore aculei; ſed ſive leves ſint rajæ, ſive aſperæ, omnes, uncos aculeos in cauda geſtant, ſicuti in rubo, cynosbato, & roſis cernuntur. Piſcis eſt, duræ carnis, concoctu difficilis, ſed alimenti firmi, & ſani. Germ. *een Roch*, Gall. *une Raye*. Hiſpan. *Raya*. Vide Guliel. Rondelet. lib. 12. cap. 3. Nonnulli Galbionem referunt, in baculo contundi ſolitorum piſcium claſſem, ut eum hoc nomine intelligamus, qui Germ. *Rotſcher* vocatur, qui & ipſe duræ carnis eſt, ac ſanus. Alii

textus habent Gobio, de quo Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 28. Gobio, inquit, littoralis est piscis, ex eorum numero, qui parvi perpetuo manent, suavissimus, ac concoctu facillimus, simulque ad distributionem, & succi bonitatem, optime comparatus, Gall. *Govion* Teutonice, *een Govie*. Huc referendi videntur pisciculi omnes, quos *Pfrellen oft Erlytzen* Germanice vocamus, & quotquot tales occurrunt, nempe jucundi, boni succi, & ad coquendum faciles.

DECIMUS, Truta. Hic omnium, qui in dulcibus aquis generantur, piscium, aequali cunctarum gentium judicio, longe nobilissimus habetur. Varius admodum est, purpureis guttis, sive maculis totum dorsum speciose pingentibus, carne interius rubra, quemadmodum in salmone, etiam conspicitur, ut procul dubio is piscis sit, qui Ausonio in Mosella, Salar vocatur, cum dicit:

Purpureisque Salar, stellatus tergora guttis.

Celebratur apud homines, tanquam voluptate, cibos reliquos superet. Carnem habet valde friabilem, ut in qua, nihil, neque lentoris, neque pinguedinis insit, quo fit, ut alimentum, quod ex eo sumitur, hominum etiam corporibus, saluberrimum esse censeatur. Huc, quod ad succi bonitatem attinet, aschiae etiam, & auratae quos *Eschen & Roteforellen* Germanice nuncupatur, referendi sunt. Porro Trutta Gallicum est: nam vulgo *Truitte* vocant, Hispanice, *Trucha*, Germanice, *een Forel*. Verum hactenus singulatim de piscibus. Nunc generatim enim, atque

universe, nonnihil de præstantia ipsorum dicemus.

SCIENDUM, igitur primo, alimentum, quod ex piscibus provenit, quemadmodum idipsum, lib. 3. cap. 15. de aliment. facult. Galenus attestatur, sanguinem gignere, consistentia tenuiorem, [3] quam quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeo ut, non affluenter nutriat, & celerius discutiatur; magis tamen excrementitium est. Phlegmatici enim, id est, frigidioris, humidiorisque temperamenti, sunt pisces. Ob eamdem tamen causam, quidam, ipsos concoctu difficiles esse, ac tardi transitus censuerunt; quippe ratione frigiditatis; lenti etiam sunt, atque diutius, ob id, ventriculo immorantur, & concoctioni repugnant; quo fit, ut sæpius corrumpantur, & putrescendo sitim generent. Carnium itaque laudabilium, alimentum hoc nomine, quam piscium, salubrius est.

SECUNDO vero hoc etiam sciendum, nempe pelagicos, hoc est, marinos (modo cætera bonæ notæ consentiant) in victus salubris ratione, quam, qui, in aquis dulcibus nati sunt, esse meliores. Alimentum enim, quod præstant

---

¶ (3) *Piscium substantia tenuis est, & nimis flaccida; ideo aliquando corrumpitur, & non solum non nutrit, sed extenuat, quia ventrem solvit, & reliqua alimenta secum trahit. Integre autem digesta, etiam tenue alimentum apponit. Hinc Boerhaavius: Pisces gulæ potius, quam nutritioni faciunt, & tanquam ablectamentum haberi.*

minus excrementitium est, & carnium naturæ propinquius. At vero cum pelagici, (cæteris paribus) quam fluviatiles, sint carne duriores, consentaneum est, eosdem difficilius etiam concoqui, & resolvi, ac magis nutrire, sanguinemque gignere puriorem. Ægris tamen, ob concoctricis, facultatis imbecillitatem, fluviatiles accommodatiores sunt,

TERTIO sciendum, ex piscibus, tam marinis, quam fluviatilibus, eligendos esse, qui carne sint, minimum mucosa, aut lenta, sed alba, suavi, subtili, friabili, odorata, quæ tarde putrescat, & qui non degunt in paludibus, lacubusque, atque id genus locis, limosis, ac sordibus, nec in aquis, limosas herbas, & mali succi radices habentibus. Pessimam enim habent carnem, qui in ejusmodi locis degunt. Eligendi vero non admodum juvenes, neque prægrandes, neque pinguedine multa respersi, sed, ut in suo genere, carnosi, & celerrimi cursus.

Ex marinis, præstantiores habentur; qui in mari a fluminibus longius distanti capiuntur, utique, si cæteræ laudabilium piscium notæ non abfuerint. Iisdem quoque notis consentientibus, quanto spinis adnatis, ac squamis horridiores fuerint, tanto præstantiores etiam esse par est; Spinarum enim, & squamarum multitudo, substantiæ puritatem arguit. Præterea optimi sunt, ex pelagicis, qui vivunt in mari puro, ac profundiore, ventorumque procellis magis agitato, & quod fluvios multos, & magnos excipit. Quare in mari Pontico, & Balthico nutriti, iis præ-

ſtant, qui in mari Mortuo, ſive Meridionali capiuntur.

Eorum autem, qui in fluviis gignuntur, ſalubriores ſunt, qui in iis gignuntur, in quibus aqua rapide fluit, ac copioſa eſt. Ex quibus jam dictis, liquido conſtat, qui piſcium, probi, malive cenſeri debeant. Cetacei enim, ac beſtiales, cujuſmodi porcus, & canis marinus, delphinus, & mothua potiſſimum habentur, cum laudabilium piſcium notis; nimirum albedine, ſubtilitate, ac friabilitate careant, in cibo ſunt prorſus injucundi, & ad conquoquendum difficiles, exiguumque boni quidem alimenti, excrementi autem plurimum reddunt, & præſertim recentes. Quare mirum non eſt, ſi pravum ſuccum in eorum corporibus, qui quotidie illis veſcuntur, congerant. Quos tamen, ſi quando, meliorum non ſuppetente copia, edere cogamur, magnopere cavendum, ne illico a captu ingerantur, ſed ſervandi ſunt per dies aliquot, dum caro eorum molleſcat, adeoque citra ſubſtantiæ corruptionem tenereſcat. Id quod fieri ſolet, ubi leviter ſale conſperſi fuerint. Quo modo ſapidiores etiam, ac multo, quam ante præſtantiores evadere, lib. 3. de aliment. facult. cap. 24. & 40. Galenus auctor eſt. Quicquid enim mucoſum, aut viroſum guſtu referunt, id totum deponunt.

Ex piſcibus marinis Raja, & Gornus in laudabilium claſſe cenſentur; carnem enim habent, conſiſtentia puriſſimam. Deinde vero Paſſer, & Solea; quorum tamen caro lentior eſt, minuſque tum alba, tum friabilis, & craſſior, ſapore etiam, atque

atque

atque odore, minus commendabilis. Merlango tamen, ſive merlano, quem ἀφύην Græci vocant, ſecundus forte a raja deberetur locus; minore enim participat craſſitie, ac lentore, quam Paſſer, & Solea, & ſubſtantia, utcunque friabilis eſt: ſed ſi odorem, ſaporem, colorem, ſubſtantiæ puritatem, & mollitiem ſpectes, bonitate non-nihil a Gorno, ac Raja deficere videbitur. Idem de harengo judicium eſt. Morhua juvenis, bonitate, prædictis ſatis propinquat; ſed ſi diligentius ad præſcriptas laudabilium piſcium notas exigatur; craſſior multo, atque lentior invenietur. Salmones autem, rhombi (vulgo Gallorum turbot) ſcombri, vulgo maquerelli, ſive macrelli, longe a reliquis bonitate deficiunt: ſunt enim multo craſſiores, magiſque lenti, & concoctu difficiliores, neque competunt, niſi vehementiore exercitio fatigatis, robuſtis, ac juvenibus, idque magis etiam, ſi quid ſalſedinis, ipſis commiſceatur, quo lentor, craſſities, & frigiditas eorum remittantur, ac corrigantur.

Ex piſcibus autem aquæ dulcis, lucius, & perca mediocres, laudatiſſimi ſunt; præſertim, ſi præter dictas bonitatis notas, pinguedinis non omnino expertes fuerint. Secundum poſt illos locum obtinet Vendoſia; carnem tamen habet, non perinde albam, ſubtilem, & friabilem, ſæpiuſque in ſtagnis, quam fluviis reperitur.

Illud porro ſummatim noſſe, etiam expedit, quod piſces fluviatiles, modo cætera conſentiant, tum ad bonos humores gignendos, tum etiam, ad guſtus ipſius voluptatem, cæteris multo ſint

præstantiores, si in aqua profunda, petrosa, aut aspera, ad Boream spectante, ac rapide fluente degant, præsertim si urbis alicujus amplissimæ, latrinarum, balneorum, culinarumque loturæ, & purgamenta, in illam non defluant, neque, & vestes, & alia ejusdem generis, in ea abluantur: Multo vero magis, si præterea, & herbarum, ac bonarum radicum copia abundet. Cancri vero tam marini, quam fluviatiles, sicuti lib. 3. de aliment. facult. cap. 33. a Galeno traditur, dura in totum carne constant, adeoque, & ad coquendum sunt difficiles, & firmi alimenti, ægre tamen in ventriculo corrumpuntur.

In piscibus quoque, id communiter memoria tenere oportet, quod recentes, valde nutriant, & humectent, mammas lacte repleant, semen prolificum suppeditent, adeoque venerem excitent, & biliosis corporibus sint accommodatissimi. Cæterum, abstinendum ab ipsorum esu, post quamlibet actionem fortem, ac vehementem: qui namque id temporis ingeruntur, eos, & male concoqui, (4) & dum in jecur, ac venas distribuun-

---

¶ [4] *Sub vehementiori motu, vel actione stomacus exinanitur, & omnes sequestrationes intenduntur, unde famelici evadimus; quo facto necesse est, digestionem citissime expediri, ut, quæ perdita sunt, illico apponantur. Neque unquam crederem, chylum eo tempore elicitum, crudum esse posse, imo potius perfectissimum, nutritioni accomodatum: Ille autem, qui a prandio motu violentiori*

tur, ſuccum generare crudum, qui non facile in probum ſanguinem mutetur, a ratione alienum non eſt. Præterea vero, cum hæc, ipſorum etiam natura ſit, ut tardius pertranſeant, cura non minima adhibenda eſt, ne in ventriculum incidant debilem, aut pravis ſuccis vitiatum: quippe qui, tum neque belle concoquantur, & facilius ſere una cum aliis in ventriculo exiſtentibus corrumpantur. Neque item, una cum carnibus, aut lacticiniis, neque ſummo, poſt alios cibos loco, ſi quid Avicennæ credimus, edendi ſunt

Poſtremo vero, hoc etiam ſciendum, quod craſſioris ſucci piſces, intra mediocritatem ſaliti, recentibus ſint præferendi. Verum, recenter ſaliti, Galeno lib. 3. de aliment. facult. cap. 24. teſte, jamdiu ſalitis, ſunt meliores. Piſces etiam laudabiles, exiguo ſale conſperſi, atque moderate ſumpti, adpetentiam, ſi quis eis delectetur, revocant, & roborant.

---

ante tempus exprimitur, crudus, & indigeſtus reſultat. [*Vid. Cap.* 2. *n.* 10. *Tom. I.*]

CAP. XXXI.

De anguilla, et nonnihil etiam, de caseo.

Vocibus, anguillæ pravæ ſunt, ſi comedantur,
Qui Phyſicen non ignorant, hæc teſtificantur.
Caſeus, anguillæ, nimis obſunt, ſi comedantur.
Ni tu ſæpe bibas, & rebibendo bibas.

Anguillam, vocibus nocere, hoc in loco traditur, idque rationibus, tum medicis, tum philoſophicis comprobatur. Limoſus enim piſcis eſt, craſſique, (1) & lenti ſucci, obſtructiones facit, longiuſque, a memoratis paulo ante, probi piſcis

¶ (1) *Non ſecus, ac de carne ſuilla dictum eſt, vel de quavis alia, in qua adeps abundat, de Anguillis quoque dicitur, quæ licet ſenſum alliciant, ægre digeruntur, & facileranceſcunt: Hinc evenit, ut humores glutinoſos, & lentos gignant: Corrigitur enim hoc alimenti genus per condimenta oppoſita, atque acido potiſſimum, ut infra in Textu.*

indiciis recedit: quod Galenus etiam in libro de cibis boni, & mali ſucci cap. 15. in hunc modum ſcribens atteſtatur: Anguillæ numquam boni ſucci; tametſi puro in humore verſentur, nedum in eo, qui urbium ſordes, & purgamenta in ſe recipit. Idem fere, & in libro de attenuante diæta cap. 6. confirmare videtur. Anguillæ, inquiens, & mollium pars maxima; tametſi carnem habent mollem, quod tamen ſucco lento, ac pituitoſo abundant, iis, qui ſalubri victus ratione uti volunt, plurimum eſt noxia. Pari modo, de muſtelis quoque, quæ vulgato jam nomine, lampretæ dicuntur, ſentiendum eſt. Nam & ipſæ nihilo ſecius, quam anguillæ, plurimum craſſi ſucci gignunt; tametſi parvulæ lampretæ, non perinde malæ, & periculoſæ ſint. Minore enim, ut ſenſus ipſe judex eſt, craſſitie, & lentore participant. Quo fit, ut hi piſces, licet non ingratum ori ſaporem offerant [quod, ſalva tamen eorum reverentia dictum velim, qui in eorum uſu diu perſeverant] admodum ſint periculoſi. Siquidem generatio eorum in aquis, ſerpentum generationi in terris reſpondet, non ſine veneni ſuſpicione. Unde etiam M. Varroni lib. 4. de lingua Latina, nomen habent, quod anguibus adſimilentur. Atque hac certe ratione, capita, & caudæ, ac ſimiliter interior ſpina, ut, quæ venenum in ſe contineant, nullo modo edenda ſunt. Conveniens autem erit, ob ſucci craſſitiem, ac lentorem, ut in optimo vino immerſæ necentur, atque cum juſculo deinde optimarum ſpecierum, ſicuti ab Apicianæ ſcholæ ſectatoribus

ſolent, præparentur: ac primo quidem duabus ebullitionibus, in vino, & aqua præbulliant, illiſque rejectis, tandem ad perfectionem coquantur. Vel gelu, inde in patina fiat, vel paſtillatura, vel aſſatura, idque cum ſalſamento competenti: in hyeme quidem cum viridi, fortibus ſpeciebus, & vino: in æſtate vero, cum debilibus ſpeciebus, omphacio, & aceto. Commodius tamen, ab ejuſmodi piſcium eſu abſtinetur. Stomacho enim, & renibus ſunt inimici; ſed præcipuum ſentiunt nocumentum ex eorum obſoniis, qui arenulas mingere (2) conſueverunt; quoniam illæ, anguillari glutino, in calculos cogi, & adſtringi videantur. Podagra [3] quoque laborantibus manifeſte officiunt; nec ullis morbis medentur, ſic ut inique Natura feciſſe videatur, quæ,

---

¶ (2) *Novimus ſatis clare, dura alimenta, vel quæ in rancidum, putridum, aut in acidum abeunt, nocere iis, qui aliqua humorum diſcraſia laborant; ſimiliter, & potus auſteri. Vid. Cap. 7. n. 8., ubi de calculis.*

¶ (3) *Qui hoc implacabili morbo vexantur, alimenta, quæ acrimoniam inferunt, vitare debent, quia ejus cauſa ſemper augetur; & dum exerceri non valent, neque integram digeſtionem perficere poſſunt. Deficit inſuper motus voluntarius, qui aliquando debili digeſtioni ſupplet. Nihilominus podagrici, gulæ utplurimum ſemper indulgent, quam ſub diriſſimis cruciatibus, ſanitati, & placidæ quieti anteponunt.*

tam ſuavem, refutandis, expuendiſque piſcibus indiderit ſaporem. Medici omni ex loco, omnique tempore, & præſertim circa ſolſtitium, anguillas deteſtantur.

Sequitur deinde; caſeum, atque anguillas, plurimum nocere ſi comedantur: quod ſane de iis, quæ magna mole ingeruntur, intelligendum eſt. Cauſæ quidem de caſeo; ſupra capite 7. De anguillis vero, in præſenti capite habentur.

Poſtremo loco, hoc etiam adſeritur, nempe pravitatem eorum, uberiore, ac frequentiore vini potu corrigi; atque emendari: quod minime tamen de vino ſubtili; ac penetrante, (4) neque item de eo, quod in potus delativi vicem ſubſtituitur; intelligendum eſt. Tale namque, cum cibis mali ſucci; bibendum non eſt, quemadmodum 3. 1. doct. 2. capite 8. Avicenna; ſic ferme ſcribens, diligenter admodum monuit: Neque vero cum cibis pravi ſucci; nec antequam illi

¶ [4] *Expedit, ut hujuſmodi vinum; duris alimentis ſuperbibatur, ne a duriori ſtomacus ultra gravetur, dum duriora alimenta digerere debet. Præterea vinum penetrans, & ſubtile, ciborum ſolutionem facilitat, & corruptioni reſiſtit, melius fortaſſe, quam quodcumque aliud, ſive acidum, ſive ſpiritus in eo prævaleat. Ideo etiam ſpiritu vini ſaccarato utimur ad digeſtionem facilitandam, in nimia repletione, quia non implet, neque ipſe digeſtione indiget, ſed totus evolat, & caput pervadit.*

conficiantur, neque ab eorundem concoctione, vinum protinus bibendum est: quippe quod mali chymi cibos, in omnia statim corporis exteriora membra, quo fortasse, citra vini adminiculum minime penetrassent, non sine sanitatis dispendio secum trahat. Intelligendum igitur de vino forti, non admodum penetrante, quod sæpius, atque modice, commodæ ciborum permistionis gratia sumitur. Hoc enim pravitatem eorum corrigit, concoctoriam facultatem roborat, frigidosque, & phlegmaticos humores, concoquendo, benignos reddit: quo fit, ut ad casei, atque anguillarum, quæ ægre admodum conficiuntur, concoctionem, non parum proficiat.

Cæterum, neque illud silentio, hoc loco involvendum; nempe vinum, non in anguillarum modo, sed quorumlibet etiam piscium esu exhibendum: quippe frigidioris, humidiorisque temperamenti sunt omnes, adeoque difficilius, ob idipsum, conficiuntur, tardiusque transeunt; vino igitur, sæpius, ac modice sumpto, facile emendantur, atque ad *σῦμμετρίαν* perducuntur. Hinc non temere hactenus hoc usurpatum est: Ex piscibus, vivos quidem, aqua foveri, mortuos vero, vino condiri oportere.

CAP. XXXII.

De cibi, potusquae in prandio, atque coena permistione, sive alternatione.

INter prandendum, ſit ſæpe, parumque bibendum.
Si ſumas ovum, molle ſit, atque novum.

HIC duo traduntur præcepta.

PRIMUM, de cibi, potuſque in prandio; atque cœna permiſtione, ſive alternatione: (1) Inter prandendum namque, cœnandumve, invicem, modo edendum, modo bibendum eſt, ac ne id quidem, large, & copioſe, ſed ſæpè po-

---

¶ [1] *Sive unico ciato poſt prandium, ſive repetitis vicibus, inter prandium bibatur aqua, ſemper ad alimentorum permixtionem concurrit, non quia ſtomacus ipſe, hoc opus perficere non valeat: ſed quia cibaria, fluidiora facta, ſtomaci viribus promptius obediunt. Neque Naturæ neceſſitati lex unquam imponenda eſt, cum unuſquiſque, urgente ſiti, bibere poſſit, plus, minuſve, juxta indigentiam, & ciborum quantitatem.*

tius, & parce. Neque enim jumenta nobis in hoc imitanda sunt, quæ tum demum bibunt; cum cibo exaturata fuerint; sed potio, subinde interponenda est, quoniam cibus, permistione potionis, mollior redditus, per membra nutritioni deservientia, facilius pervehitur: Atque hic notandum, triplicem à Medicis constitui potum. Ac primum quidem permixtivum vocari; quod una nimirum cum cibis ingeratur: Alterum delativum, [2] quod concoctione in ventre jam confecta, & absoluta; in hepate vero inchoata, ut cibi penetrationem adjuvet, exhibeatur. Tertium vero, sitis sedativum, quo in explenda siti, utimur. Quæ igitur, de potu, hoc loco traduntur, ea de permixtivo accipienda sunt.

¶ (2) *Peracta tandem digestione, integra massa pultiformis transit in intestina. Pars subtilior, sive chylus, per vasa lactea sibi viam expedit ad Cisternam Pacqueti, ex qua, per ductum thoracicum, venam subclaviam ingreditur, & sanguini miscetur. Ut vero hoc opus, quam facile assequi possit; non abs re erit, hora sexta, vel septima a prandio, aquam bibere, ut chylus, fluidior factus, promptior, suam ineat circulationem. Quod, dummodo sitis non urgeat, negligi potest; nam omnia vasa lynphatica venosa, quæ lynpham redundantem revehunt, in cisternam pacquetianam, & ductum thoracicum abeunt, pro chyli dilutione. Omnes mesenterii glandulæ, humorem tenuissimum, ipsis vasis chyliferis affundunt, pro eodem munere.*

Hic enim, interponi ſæpius, ac permiſceri cibis debet, neque ad finem prandii, vel cœnæ, ſive dum ſitis urgeat (ſalvo tamen aliorum judicio) differendus eſt. Imo vero, crebrius etiam, ab illis aſſumi debet, qui cibis, actu, vel potentia ſiccioribus veſcuntur, quique vehementius ſeſe, atque immoderatius exercendo, ſiccum panem vorant; non tamen copioſe, ne concoctio impediatur. Simile enim quiddam ſuccederet, quale aquam in lebetem ferventem, ſæpius large, & copioſe infundentibus ſolet; quippe caloris vis, in coquendo hebetaretur.

Sitis autem ſedativus potus, circa prandii, vel cœnæ finem, naturæ congruere magis videtur; tunc enim, ob calidi, ſiccique cibi æſtuationem, vera ſitis urget. (3) Namque veriſimile non eſt eodem, ac brevi temporis momento, infeſtari

---

¶ [3] *Dum digeſtio fervet, moleſta ſitis perſentitur: eo namque tempore, alimenta, præſertim dura, ſolvenda ſunt, & pro faciliore ſolutione, expedit, ut aqua affluenter admiſceatur, cum illa, quæ in prandio, una cum alimentis ingeſta fuit, citius, quam ſolida alimenta, per pylorum diſſiluiſſet. Verum ſi quis, patienter hanc inopportunam ſitim ſubſtinuerit, peracta digeſtione, non amplius ab ea moleſtabitur: quia alimenta jam digeſta, & attenuata, tum per vires præſſorias, tum per lynphæ gaſtricæ admixtionem, ulteriori fluido non indigent. Diximus jam, aquæ potum, incoatam digeſtionem turbare. Vid. Cap. 27. num. 1.*

naturam, esurie, sitique simul, eo quod, hæc irritetur a calore, illa stimuletur a frigore interno. Estque hic, potus augendus, vel minuendus, prout ipsa sitis expostulat.

At delativus, prima coctione jam peracta, atque etiam paulo ante, quam aliud quidpiam edatur, propinandus est: præsertim cum prius ingestus cibus, consistentia fuerit crassior, neque differendus est, dum sitis oboriatur. Ventriculum enim, ad reliquum suscipiendum cibum reddit expeditiorem, ac eorum etiam, quæ in ventriculo continentur, distributionem, ad hepar, plurimum juvat. Non tamen immoderatius eo abutendum est, ut mature concoqui possit Siquidem incoctus, ad hepar non transit. Quod verum utique erit, si in delativi locum, non substituatur aqua. In illa enim necesse non est, ut concoctio expectetur, priusquam ad hepar transmeet. Rationabiliter vero in potu delativo, ceu etiam in permixtivo, non aqua; sed vinum propinari debet, aut aliud quidpiam, quod vino sit ἀνάλογον, veluti cervisia, μελίκρατον aut ex cerasis, vel malis, aut simili quopiam fructus genere confectæ potiones; quibus tamen omnibus, vinum est præferendum. Facile enim efficit, alimenti in omnia membra distributionem: unde non inepte ὄχημα τῆς τροφῆς ab Hippocrate nuncupatur, ut copiose admodum supra cap. 15. & 27. ostendimus.

Sed quia, de commoda cibi, potusque permistione, satis jam diximus, Illud minime omittendum, est, quod nonnullis, ut rectum, placere

video, nempe, ut juxta crassiorem, ficciorem, & frigidiorem cibum, de utroque potu, tam delativo, quam permixitivo largius assumamus, & ut rursus circa calidiorem, subtiliorem, atque humidiorem, parcius, Et iterum, ut vinum, subtile, valensque, cum cibo, natura, crasso, duro, ac frigido, bibamus, & e diverso, ut calidioribus concoctionique magis parentibus cibis, vinum debilius adjungamus. Quæ ratio, si stabit, valentiore vino, juxta carnem utemur bubulam, quam pullorum gallinaceorum: itemque juxta pisces, quam carnes animalium terrestrium.

SECUNDUM præceptum, de ovis erat, nempe, ut recentia, ac mollia ingeramus: cujus ratio reddita est supra, capite octavo.



CAP. XXXIII.

De pisis.

Pisum laudandum, nunc sumpsimus,
ac reprobandum.
Est inflativum cum pellibus, atque nocivum,
Pellibus ablatis, sunt bona pisa satis.

Inquisitione dignum videtur, quod de Pisis, hoc loco traditur: nempe ipsa laudem mereri quandoque, nonnunquam vero, & vituperium.

Ubi ſcire ante omnia convenit, ipſa, duas habere facultates, adſtrictoriam nimirum, & purgatoriam: [1] quarum hæc certe, in ipſorum velut carne eſt; illa vero in corticibus. Laudantur igitur, quæ adempto cortice manduntur: culpantur, quæ non decorticata ingeruntur. Priore enim modo ſumpta, ut in diætis univerſalibus Iſaacus idipſum confirmat, ventrem ſubducunt; altero vero, magis condenſant, & adſtringunt, plurimumque flatulenti (2) ſpiritus pariunt, ita ut, pugna quædam, ac tormina in inteſtinis excitentur: purgatoria quidem facultate ſuccum excernere volente, adſtrictoria vero retinente: hincque intus affligitur natura, ab utroque horum dive- xata. Porro, ſi piſa, cortice ſpoliata mandantur, tunc purgatoriæ actioni, maxime conferunt. Quod de piſis hic dicitur, idem de omnibus ferme le-

---

¶ (1) *Non apparet, num de recentibus, num de exiccatis intelligendum ſit, dummodo de illis non intelligatur, non videtur, hæc ventrem ſolvere poſſe, non ſecus, ac omnia legumina, quæ, licet difficilis digeſtionis, difficillime, aut numquam corrumpuntur.*

¶ (2) *Facultas producendi aerem elaſticum, non in cortice; ſed in ſeminibus reſidere videtur, non ſecus, ac virtus germinandi. Cortex vero virentium, dentibus contritus, quamdam vim ſtipticam oſtendit, linguam, & palatum conſtipantem, quæ, ſub coctione, tollitur omnino, & de toto cortice ſtupidus ſapor ſupereſt.*

guminibus, puta fabis, lentibus, phaseolis, & si quæ sunt similia; præcipue tamen corticem habentibus crassiorem, ut de fabis, & ciceribus nigris, intelligendum est. Hac namque ratione, legumina omnia, quemadmodum lib. 4. de vict. ration. in morb. acut. aphorism. 59. Hippocrates attestatur: flatuosa sunt, & cruda, & cocta, & fricta, & macerata, & viridia. Cortex præterea in omnibus, pejorem [3] generat succum, quam, quæ ipsorum, velut caro est. In pisorum genere reperiuntur quædam, alba, & rotunda, cortice tenui, levi, ac fragili, quæ tametsi, una cum corticibus innoxie mandi queant; præstat tamen, ut decorticentur. Legumina viridia adhuc, & nondum exacte matura, valde tenuem habent corticem, ac minus ipsis discrimen inest, quod ad corticem saltem, & carnem attinet, faciliusque concoquuntur: [4] quare ea, nonnulli, sanis corporibus, quam matura, atque

---

¶ [3] *Hinc sequitur, pravos humores producere non posse; resistit vero plus justo viribus digestionis, neque in alimentum transit, cum re vera nil nutrititii contineat, & tanquam furfur excernitur. Vid. Cap. 24. n. 5.*

¶ (4) *Legumina neque germinant, neque aerem dant elasticum, nisi prius, ad perfectam maturitatem pervenerint, & exiccata fuerint. Viridia vero, & immatura, inter fructus horæos comprehendi possunt, & vix ingesta, in humorem tenuem abeunt: non ergo corrumpuntur, neque excrementitia sunt.*

exiccata, magis convenire arbitrati sunt: quod tamen a veritate alienum videtur. Nam ea, admodum esse excrementitiæ substantiæ, & corruptioni magis obnoxiæ, constat: quo fit, ut a sanis, non usquequaque citra noxam sumi queant. Hoc tamen negari non potest, quod matura, & exiccata, cum ab extimis corticibus purgata fuerint, ad victus salubris rationem, quam recentia, non decorticata, accommodatiora sint, & e diverso, viridia, quam exiccata, cortice non spoliata. Porro, cum omnium leguminum substantia inflet, concoctioni renitatur, crassique, & pravi succi alimentum in corpus diffundat, merito a victus salubris ratione excluditur. Brodium tamen, sive jusculum eorum, eo quod flatum, cum omni, & alimenti, & concoctionis pravitate deponat, ventrem subducat, urinam ciet, venarum, atque viscerum obstructiones amoliatur, adeoque ad vasorum etiam, quæ colatoria, vulgo vocantur, nempe hepatis, renum, & vesicæ, emundationem, sit efficacissimum, non parum commoditatis in victus salubris ratione habere dignoscitur. Cujus proinde usum jejuniorum tempore, quando crassis, atque obstruentibus utimur cibis, frequentiorem esse convenit. Multiplex porro, ac varius hominibus, leguminum usus esse solet. Nonnulli enim, cum salsis carnibus esitant: quem modum Galenus lib. 1. cap. 25. de aliment. facult. non probat. Nam hæ quoque, sanguinem crassiorem, & melancholicum magis generant. Quapropter, non est his, copiosius utendum, & maxime si cui, corpus sit,

aut

aut melancholicum, aut craſſo, vel pravo ſucco abundet. Peſſime autem Coci, divitibus legumina, ſapa apparant: quandoquidem legumina, haudquaquam incraſſantium [5] miſtionem poſtulant, ſedhumidorum potius, & quæ ipſorum craſſitiem incidant. Quibus vero ſapa commiſcetur, jecoris obſtructiones ſolent gignere, viſceriſque hujus, ac lienis inflammationes inaugent, niſi melle addito, meliora fiant. Perſpi-

¶ [5] *Abſolute ſatis dura ſunt; relate vero ad craſſum, a quo condiuntur, duriſſima fiunt. Quapropter facillime lentores, & obſtructiones pariunt; ſedentariis præcipue. Melius cum limoniorum ſucco corriguntur, ne nimis inflent. Verum opponi poteſt, acidum, potius fermentationem excitare, quam impedire, unde ſequeretur, legumina cum acido limoniorum, majorem flatulentiam inferre. Sciendum autem eſt, fermentum excitari ab acido in omnibus farinoſis, etiam ſeminibus, licet ſerius; quieſcentibus vero, & bene clauſis, quomodolibet vero ſubactis, ſilet fermentatio. Hinc ſub viribus digeſtionis, acidum, vices diluentis, & attenuantis gerit, partes nempe, nimis concretas ſeparando, ut facile a ventriculo ſubigi poſſint. Jam notum eſt, omnia acida mitiora; ſecus vero de auſteris, lentos humores ſolvere, & ad excretionem, aptos reddere, præſertim per diureſim: Vid. Tom. 6. Prelect. Boerhaav. pag. 336. §. 1222. n. 5. Acidis levibus, vegetabilibus Arantii, Citri, limonii &c.*

cuum autem eſt, quod, & ſcirroſos viſceris utriuſque affectus, ſæpe exacerbat. Ut autem legumina, eſui accommodatiora fiant, magis nutriant, & craſſum, pravumque ſuccum amittant, in hunc fere modum coquenda veniunt. Sub noctem, in aquam ferventem infundantur, ac primo quidem, manibus diutule confricentur, ut a cortice ſeparentur, deinde per totam noctem in eadem, macerando, temperentur, ſequenti vero die, duabus, vel tribus ebullitionibus in eodem liquore, dum tertia, quartave aquæ portio abſumatur, percoquantur. Aquam autem adhibere oportet leviſſimam, ſeu pluvialem. Nam, & hac citius coquentur, & molliora evadent, & concoctione minus faceſſent negotii. Jus decocti, colo tandem transfundendum, & ad uſus reſervandum. De quo ubi, & quantum cuique libuerit, accipiendum, eumque, cinnamomo, denuo, & croco temperandum ad lentum ignem. Hoc etiam pacto, terream naturam, magna ex parte deponet. Nonnulli duas partes zinziberis, unam piperis, aliquantum etiam cymini adjiciunt, quo facilius ſecedat, ad extremum aliquid aceti, vinive, & butyri admiſcent, atque unica iterum ebullitione coquunt, ſpumam interea diligenter auferentes. Quod quidem in principio refectionis potiſſimum ſumendum. Illud poſtremo minime prætereundum, quod brodium, ſive juſculum cicerum, & piſorum alborum, multo ſit præſtantius, & humanæ naturæ accommodatius, quemadmodum, & tota eorum ſubſtantia.

CAP. XXXIV.

DE LACTE TABIDORUM.

LAc φθιτικοῖς sanum, caprinum, postque camelinum
Ac nutritivum, plus omnibus, est asininum,
Plus nutritivum, vaccinum, sic et ovinum.
Adsit si febris, caput & doleat, fugiendum est.

Hic præcepta quædam traduntur de electiore lactis genere, quatenus videlicet φθιτικοις, hoc est, tabidis, emaciatis, hectica febre laborantibus, & quomodocumque consumptis, sit conducturum. Cibi enim, his ipsis, quod calorem nativum imbecillum (1) obtineat, concoctu faciles conve-

¶ [1] *Hectici, vel Pthisici, dummodo ad ultimum Marasmi stadium non pervenerint, famelici sunt, & facile digerunt, quia fibræ in hoc morbo rigidæ, intentiori momento præstant, & humores acres, alimenta citissime consumunt. Præterea omnes secretiones immodicæ, præsertim sudor. vel perspiratio, continuo corpus esauriunt, unde conti-*

niunt: boni item, ac multi alimenti, ut corpus emaciatum instaurent: sed liquidi, & tenues, ut vias ob siccitatem contractas, facilius subeant, & penetrent; ob febrim quoque refrigerent nonnihil, & ob ulceris saniem, detergant, & ob solutionem continui, glutinent. Quas dotes omnes habet lac; facile enim coquitur, ac omnium, quæ alimenti gratia sumimus, lac, butyro, & caseo, multum nutrit: optimum optimi est succi: serum casei, & butyri liquidum, & subfrigidum [2] est, ut lib. 5. cap. 20. & lib. 10. cap. 7. de simpl. medic. fac. Gal. terget, sapore dulci, butyrosæ substantiæ, & acrimonia seri glutinat, caseo, & eodem ac butyro est emplasti-

---

nua alimoniæ necessitas. Phtysicis vero deficit perfecta sanguificatio ob pulmonum imbecillitatem, qui nullo modo, idoneum sanguinem parare possunt pro vitæ necessitatibus, &, ante omnia, pro nutritione.

¶ (2) *Lactis frigiditas undenam sit repetenda? Ex opposita ratione, a qua vini, & aromatum calorem recognoscimus: Vid. Cap. 10. n. 8. Tom. I. Lac enim, nullam sensationem partibus nervosis affert, verum tensas emollit, convulsas lenit: Hinc momentum debilius, & motus remissior, attritus, & calor parcior. Ideo lac, facile apponitur, nutrit, & corpus auget. Cæterum omnes lactis species notissimæ sunt, etiam Bubulcis, & Idiotis. De usu, & utilitate jam satis Cap. 2. n. 9., & Cap. 7. n. 13. Tomi primi.*

cum. Quapropter nonnulli, Galeno in libro de cibis boni, & mali ſucci, cap. 9. teſte, pulmonis ulceribus affectos, potione tantum lactis curari putant, antea ſcilicet, quam ea ipſa ulcera amplientur, calloſaque fiant.

AC PRIMUM quidem præceptum; eſt de lacte caprino: quod utile eſſe phthiſicis, Avicen. 2. Canon. cap 442. & 14. tract. 3. cap. 6. confirmat. Neque id ſane injuria; ſiquidem inter cætera lactis genera, moderate ſe habet, cum non admodum pingue, craſſumque ſit, ob id, medium quoque eſſe cenſetur, quod in corporibus noſtris præſtat.

SECUNDUM de camelino: quod illo tenuius eſt, ſeroſique humoris, magis particeps: quo fit: ut minus, tum nutriat, tum emaciatis conferat. Hydropicis tamen, & quibus hepar male affectum eſt, non parum commoditatis adfert; præſertim ſi fuerit cameli nuperrime enixæ. Eo namque hepar, ſi quid Avicennæ credimus, reficitur, atque inſtauratur.

TERTIUM de aſinino: Aſinæ namque inter cætera brutorum genera, lac præbent, ad propoſitos affectus accommodatiſſimum; quippe cum tenuiſſimum ſit, & minime coaguletur, & quoquoverſus, ocyſſime in corpus digeratur, quemadmodum elegantiſſime lib. 7. method. medend. cap. 6. a Galeno ſcribitur. Quod Avicen. quoque 14. tract. 3. cap. 6. confirmat. Non eſt, inquiens, lac poſt muliebre, quod hecticis æque conferat, ac aſininum, Hecticam enim, ſiquidem curabilis fuerit, ad plenum curat. Sed præ

cæteris, lac muliebre, tanquam naturæ ejusdem & humano corpori familiarissimum, ab aliis medicis, præcipueque ab Herodoto, & Euriphonte, ad tabidos affectus celebratur. Quoniam enim cæteris est subtilius, frigidius, & humidius, citius concoquitur; velocius penetrat, & melius nutrit. Sumendum autem quodvis horum, mane jejunis, horis tribus, aut quatuor ante cibum, uncias quatuor primum, quas si recte confecerit, postridie quinque, sex uncias, & sic diebus consequentibus auctum; si bene concoquat, usque ad libram unam. Quatenus enim vires augeri cernimus; eatenus nos quoque; cibis adjciemus. Sumat autem patiens ex mammilla, aut minimum, diu extra propria conceptacula moratum (illic enim, & sanguis, & semen promptissime corrumpitur) per se; aut cum pauco melle, vel sacharo; & sale, ne in ventriculo acescat. A lacte hausto, non dormiat, [3] ne corrumpatur, nec corpus exerceat, motu, aut frictione, ne crudum (4) lac in corpus trahatur.

Cæterum, silentio prætereundum hoc loco non est, quod non semper, lac muliebre, aut asini-

---

¶ [3] *Cap. I. n. 10. Tom. 1. probatum est sub somno, digestionem melius perfici, quam in vigilia. De lacte autem, eadem præstat ratio; nam dormiendo digeritur, & in nutrimentum abit. Digeritur quoque, leni motu, exercitatione &c.*

¶ [4] *Vide que dicta sunt Cap. 2. num. 11. Tom. 1.*

num, phthisicis prosit: immo vero lac acidum (5) sive ebutyratum, ab ipsis in certis quibusdam casibus convenientius adsumitur, Et primo quidem, quando cum phthisi, fluxus ventris simul infestat; Deinde cum metus est; ne in ventriculo coaguletur; [6] vel ardor adest vehementis febris, aut ventriculus suapte natura biliosus existit, ut in quo; lac nullo negotio in bilem transeat. Quinetiam quando phthisi febris conjungitur putrida; & multæ in inferioribus partibus sunt obstructiones: Lac enim; acidum

---

¶ (5) *Adulta phthysi, ad extremum marasmum usque, omnes humores una in discrasiam purulentam abeunt, quæ à solo lacte nequit emendari: Ideo, prudenti consilio; addunt ipso lacti tantillum aceti generosi, quod maximum est antidotum contra omnem putredinem. In hoc enim morbo solvitur venter, & omnes evacuationes profusissimæ fiunt: ita omnes humores corrumpuntur; & attenuantur, ut fere excrementitii fiant, nullo modo ab arteriis majoribus, per venas socias, ad cor redituri, sed per arterias secretorias, & evanescentes libere excernendi.*

¶ [6] *Lac non coagulatur, nisi ab acido. Acidum vero, tantum distat ab hoc morbo, quantum aqua ab igne. Neque, Bilis, lac unquam cogere potest; cum sit maximum præsidium contra coagulum, ita ut prudentes Medici, illis, qui lacte, quacumque ex causa utuntur, aliquot grana Fellis taurini, aut saponis veneti deglutire præcipiunt.*

cohibet, & adſtringit aluum, neque facile in bilem convertitur: quippe cui butyrum, quo prompte accendi poterat, ademptum ſit: eadem ratione, nec in putrida facile putreſcit. Præterea cum immundus, ac ſordidus eſt ventriculus: in ejuſmodi enim ventriculo, Lac promptiſſime corrumpitur. Poſtremo vero cum phthiſicus, lac integrum, & dulce abominatur; ab acido autem, ſive ebutyrato, non omnino abhorret, Sed de his omnibus copioſe admodum Hieronymus Cardanus libro ſecundo Contradicentium, Tract. 4. Contradict. 1. & Conciliator differentia 194.

QUARTUM, de lacte vaccino: quod ut inter cætera lactis genera, craſſius, ac pinguius invenitur, ita alere etiam magis putandum eſt. Atque hinc ſane Rhazes lib. 3. cap. 15. ad Almanſor. ſic ferme de eo ſcriptum reliquit: Lac vaccinum, quorumlibet aliorum animalium lacte, craſſius judicatur, atque ob id, corporis molem, & obeſitatem adipiſci volentibus, accommodatiſſimum habetur. His amplius Avicenna lib. 2. Canon. cap. 442. hoc quoque addendum putavit: Nempe, lac cujuslibet animalis, cujus fœtus, eandem in utero moram cum homine ducat, ideſt, per novem menſes, humano lacti, eſſe maxime conforme; illud vero, quod ſit animalis, cujus impraægnatio, quam mulieris, diuturnior, ſit, eſſe deterius: quo fit, ut cum vacca novem menſibus vitulum ferat, lac ejus, humano maxime conforme, atque ob id, optimum quoque habeatur.

QUINTUM, de lacte ovino: hoc, quod ad

consistentiam quidem, & nutrimentum attinet, ad vaccinum, quodammodo accedit.

SEXTUM, de lacte vitando in febribus putridis, & dolore capitis: cujus rei causæ, adsignatæ sunt supra cap. 7.

CAP. XXXV.

De butyro.

LEnit, & humectat, solvit, sine febre butyrum.

Tres butyri [1] proprietates hic referuntur.

PRIMO, cum doloris sedatione lenit, & maturat: Siquidem temperate calidum est, & natura pingue, atque oleosum, facultatisque concoquentis, paulum habens, etiam digerendi potentiæ, in mediis nimirum corporibus, secundum duritiem, & mollitiem. Bubonas igitur, & pa-

¶ (1) *Omnes has facultates, jure merito butiro adscribuntur, præter digestivam, quæ aliunde est repetenda. Stomaco debilioribus nauseam excitat; nec non facile rancescit, & ardorem molestissimum gignit. In duris, & siccis obstructionibus, exterius applicitum, optimum linimentum est. Imo si cicutæ succus ei admisceatur, ad instar unguenti obstructionibus summopere proficiet.*

rotidas juvat, gingivas extenuat, & præsertim in infantibus dentientibus, item humores in pectore; ac pulmone fixos, linctu concoquit.

SECUNDO humectat: ex meliore namque lactis essentia constat: quemadmodum ergo lacti, unde sejunctum est, humectandi vis inest, ita, & butyro inesse oportet.

TERTIO vero solvit: Largius enim sumptum, cum ob suæ substantiæ lubricitatem, tum ob communem omnium ciborum humidorum rationem, qui scilicet citra adstrictionem sunt humidi, facile per ventrem subit. Sed febricitantibus, & calidioribus naturis, non æque, ut aliis convenit: ipsis enim, in flavam bilem convertitur.

Illud porro nosse hoc loco utile est, quod butyrum, ob superabundantem, & humiditatem, & pinguedinem, in alimentis, usu præsertim immoderatiore expetendum non sit; Ventriculum enim resupinat, ac subvertit, & ad vomitum incitat. Neque vero, ultimo post alios cibos loco ingerere convenit, quippe cum, humidum sit; ac lubricum, facileque subduci queat; in superficie natans corrumpitur, & ob hoc ipsum, ante alios cibos sumendum est. Ita enim citius subducitur, & aliis cibis viam munit. Quocumque oleo magis, tum nutrit; tum cibos condit: quo fit, ut obsoniis additum, olei, atque adipis vicem, merito penset; Unice tamen hoc semper cavendum, ne usus ejus sit immoderatus, neve in ventriculo accendatur. Pinguia enim inflammata, quemadmodum in majori praxi Tract. 6,

cap. 15. rubr. 4. Joannes Michael Savonarola scriptum reliquit, in melancholiam adustam transeunt, ex qua, lepra (2) deinceps generatur. Quo fit, inquit ille, ut ob nimium Butyri usum, multi leprosi in Germania reperiantur. Recens etiam butyrum, ut Avenzoar testatur, contra bestias, quæ virus ejaculantur; venenaque; & foris illitum; & per os assumptum, efficax est; ab aspide enim percussis, utilissime imponitur: & in pestilenti aeris constitutione, quotidie cum puri panis, tribus, aut quatuor bolis, mane a jejunis devoratum; mirifice ad sanos, ab infectione præservandos (3) confert. Plura de butyro Dio-

---

¶ [2] *Omnia adiposa, plus, minusve difficile digeruntur, uti in Cap. 7. n. 31. Tom. 1. dictum est. Et qua diu retinent propriam naturam, in rancidum oleosum abeunt. Ideo tractu temporis sanguinem spissum, & humores lentos efficiunt, qui perspirationem impediunt, & intra vasa cutanea retenti, mora; & calore; præter indigenam acrimoniam; acriores fiunt, vasa erodunt; & tubercula elevant, pruritu, & ardore nimis molesta. Usque adhuc morbus in simplici dyscrasia acri consistit, quæ spreta, in veram acrimoniam oleosam transit: Vid. Prælect. academ. Boerhaav. tom. 6. pag.* 197. §. 915.

¶ [3] *Antidota, quæ à morbis contagiosis, vel ab ipsa peste præservant, duplici operantur modo: Solidas partes nempe roborando, & perspirationem insensibilem promovendo, uti sunt analeptica, &*

ſcorides libro ſecundo, cap. 62. Galenus lib. 10. cap. 10. de ſimpl. med. facul. Paulus Aegineta lib. 7. & Simeon Sethi in Syntag, & Avenzoar tract. 1. cap. 4. lib. 3. Theyſir.

Annotatiuncula.

Tametſi βούτυρον primam neceſſario habeat longam, eadem tamen correpta, & media producta, Joannes Baptiſta Fiera quoque hoc verſu extulit.

Lac dabit, aerii tibi, condimenta butyri.



CAP. XXXVI.

De sero.

INciditque, lavat, penetrat, inundat quoque ſerum.

HIC agitur de facultatibus Seri, quod lactis aquoſa eſt ſubſtantia. Hoc (ut lib. 2. diſtinct.

---

cardiaca, ne forte peſtiferum miaſma, vitales vires invadat, & opprimat. Similiter ut per vaſa cutanea, ſanguis continuo poſſit repurgari. Utraque hæc facultas omnibus adipoſis denegata eſt, quæ ſolidorum momentum minuunt, & perſpirationem ſuffocant. Vide ſupra n. 2. Præſtant vero adipoſa omnia contra arſenicum, dummodo propinentur ſtatim poſt abſumptum venenum.

1. cap. 9. de med. simpl. purgant. Mesues inquit) excalfacit, atque siccat, ordine primo completo, & usque ad secundum. Quinetiam attenuat, abluit, abstergit, & nitrosa, (1) qua refertum est facultate, alvum absque aliqua mordacitate, leniter subducit. Bilem, tum flavam, tum atram, ab exustis humoribus genitam dejicit: quo fit, ut mirifice conferat maniacis, & melancholicis. Præstat item ad viscerum infarctus, & morbis inde provenientibus opitulatur: nimirum, aqua intercute laborantibus, felle suffusis, & lienosis. Datur utiliter febrientibus ex bile, & viscerum, ac vasorum obstructionibus. Competit etiamnum vitiis in cute, a bile, & perustis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiliginibus, aphtis, psoris, leprisque admodum convenit. Hæc ille. Comitialibus quoque, atque iis, qui ob potentis vini largiorem potum male habent, auxilium præstat. Plura Dioscorides lib. 2. cap. 60. Galenus lib. 10. de simpl. med. facul. cap. 8. Rhazes lib. 3. ad Almans. cap. 15. & Avicenna 2. Canon. cap. 442.

¶ (1) *Serum numquam salis, sive nitri vestigium ostendit, quomodolibet spectatum, cum sit succus a vegetabilibus, recentibus utplurimum, expressus nulla arte, nullove mestruo, sed naturæ ministerio in visceribus, & machinis pressoriis animalis, a quo elicitur, paratus. Ventrem leniter subducit, quia acres humores involvit, stimulum sedat, & spasticas constrictiones solvit; unde inter*



CAP. XXXVII.

De caseo.

CAseus eſt gelidus, ſtipans, craſſus, quoque durus.
Caſeus, et panis, ſunt optima fercula ſanis.
Si non ſunt ſani, tunc hunc, ne jungito pani.

Duo hoc loco peraguntur:

PRIMO, quatuor referuntur facultates Caſei. Quarum prima eſt, ipſum eſſe gelidum, ideſt temperatura frigidum, quod intelligi debet, de recente, ac molli, qui frigidus, (1) & humidus,

---

eccoprotica primum locum meretur. In inflammationibus efficax remedium reſolvens; in febribus putridis, antiſepticum; in obſtructionibus, vaſa laxat, partes cohærentes diſſolvit, ſequeſtrationes promovet, ſanguinem, & humores depurat. Magnum medicamentum omni ævo proficuum, & magni momenti, numquam ab uſo medico receſſurum.

¶ (1) *Retinet adhuc lactis naturam, aut vix immutatam, admixto coagulo: addito vero ſale, & per dies aſſervatus, in aliam ſubſtantiam tran-*


& non de vetere, qui calidus, & ſiccus eſt. Atque hujus ſane rei graviſſimum habemus teſtem Paulum Aegineram, qui lib. 7. ſic ait: Caſeus recens, compactus, & mollis, repulſoriam habet vim, leniter perfrigerans. Quinetiam, de eo intelligi poteſt, qui conficitur ex ſola lactis coagulatione, abſque ulla alterius rei commiſtione. Reperitur enim, qui ob aromaton quorumdam, ac odoratarum herbarum admiſtionem, acrior, & calidior evaſerit, & ob id, linguam vellicet, atque ventriculum excaleſaciat. Talis autem, colore potiſſimum, viridis exiſtit, qui ſi majore paulo mole ingeratur, corpus vehementer exurit. Secunda eſt, caſeum ſtipare, hoc eſt, adſtringere, ac cohibere alvum, quod maxime ſolet præſtare vetus, cui multum coaguli admiſtum eſt. Tertia eſt, ipſum eſſe craſſum, quod eſt, craſſos generare humores, idque nullo excepto. Omnis enim caſeus, fit ex craſſiore, & terreſtri magis, cujuſlibet lactis ſubſtantia, admiſto coagulo, & expreſſo inde ſero. Quarta eſt, Caſeum eſſe durum, id eſt, ægre, & concoqui, & alvo diſcedere: nimirum propter ſuccum craſſiorem.

SECUNDO deinde loco, hoc etiam adſeritur: nempe caſeum, parva mole cum pane ſumptum, optimum ſanis hominibus eſſe cibum, quippe

---

ſit, atque tandem in directa temporis ratione, ita mutatur, ut nil primæ naturae amplius retineat. Vid. Capit. 7. num. 14. quae de eo dicta ſunt. T I.

qui, panis [2] admiſtione, concoctu reddatur facilior, cum alioqui per ſe ſumptus, admodum, ob concoctionis tarditatem offendat: Aegrotantibus vero, propterea quod neque ad concoctionem, ut dictum eſt, neque ad movendam urinam, neque ad ciendam alvum, neque ad ſucci denique probitatem, quicquam boni conferat, omnino fugiendus eſt. Plura de hoc ſupra cap. 7. & 9.



CASEUS DE SE IPSO.

IGnari Medici, me dicunt eſſe nocivum,
Et tamen ignorant, cur nocumenta feram.
Expertis reor eſſe ratum, quia commoditate.
Languenti ſtomacho, caſeus addit opem.
Caſeus ante cibum confert, ſi defluat alvus,

¶ (2) *Inveteratus talem acrimoniam alkalinam inducit, ut niſi a quavis acida ſubſtantia temperetur, nullo modo digeri poteſt, vel ſaltem multo ſerius. Hinc, addito pane, qui aceſcentia ſua ejus alkaleſcentiam enervat, & auſteras ſpiculas obtundit, & involvit, melius digeritur, & minus nocet: Vid. eod. Cap. n. 15. Tom. I.*

Si

Si constipetur, terminet ille dapes.
Qui physicen non ignorant, haec testi-
ficantur

In prioribus duobus versibus προσωποποία est, Fingitur enim caseus, seipsum, adversus malignos vicinos, ac vituperatores defendere. Ignari, inquiens, Medici, hoc est, indocti, ac medicinæ rudes, dicunt me, videlicet caseum, in universum nocivum esse: quum ipsi tamen ignorent causam, cur humanæ naturæ nocere dicar. Allusum autem videtur ad illud, quod ab Hippocrate, in lib. de veteri med. art. 36. scriptum est, in hunc modum: Atqui, inquit, mihi necessarium esse videtur, ut omnis medicus, de natura sciat, & omni studio adnitatur, ut cognoscat [si modo aliquid eorum, quæ fieri debent, recte præstare velit.] Quid est homo, ad ea, quæ comeduntur, ac bibuntur comparatus, & quid cuique, ab unoquoque, continget, ac accidet, & non simpliciter, sic existimare, quod malum edulium est Caseus: dolorem enim affert repletio ex ipso; Sed quem dolorem, & propter quid, & cui parti intra hominem existenti, incommodum existit; nam, & alia multa edulia, ac pocula, natura, mala sunt, & afficiunt hominem non eodem modo: & articol. 37. libri ejusdem. Proferatur autem mihi, verbi causa, aliquid, velut Vinum meracum multum potum, hominem aliquo modo debilem reddit, & omnes, qui viderint hoc fatentur, & recognoscunt, quod hæc est vis vini, & quod ipsum est causa, &

in quas, in homine partes, maxime possit, novimus. Talem itaque veritatem etiam de aliis, ostendere volo. Etenim caseus [quandoquidem, hunc in exemplum assumpsi] non omnes homines ledit, sed sunt qui ex ipso repleti, ne tantillum quidem offenduntur. Imo gracilibus etiam mirabiliter (3) conferre proditur. Sunt autem, qui difficulter summoventes ipsum, ab eo liberantur. Horum vero naturæ differunt. differuntque etiam juxta hoc, quod est in corpore, caseo contrarium, nam a caseo excitatur, & commovetur in iis, quibus ejusmodi humor multus in corpore existit, & quo magis hic potens est, eo magis verisimile est, ipsos male affligi; si vero toti humanæ naturæ malus esset, omnes utique læderet: Hæc autem, si quis novisset, non incurreret, ea neque sane pateretur. Hactenus Hippocrates.

SECUNDO deinde loco, duæ recensentur utilitates ab ingesto caseo, Quarum prima est, ipsum, debilitatem abscindere stomachi. ubi sciendum tamen, quod non quilibet statim caseus, cujvis subveniat stomacho [casei siquidem, in certis quibusdam casibus, omnes ex æquo nocent; stomacho nimirum raræ texturæ, ac illi quoque,

---

¶ [3] *Qui sunt frigidi, & humidi temperamenti, acido spontaneo quandoque laborantes, alimenta dura, & sicca, austera, atque alkalescentia, facile ferunt, quæ nimiam humiditatem absorbent, & acida opposita, talem acrimoniam reprimunt, & enervant.*

qui ex longa ægritudine, adhuc debilis se colligit [sed recens, mollis, ac pauci lentoris particeps, quemadmodum lib. 3. ad Almans. cap. 15. Rhazes testatur, calido, atque sicco stomacho apprime confert; exustionem enim, caliditatem, & siccitatem ejus, frigiditatis, ac humiditatis ratione, reprimit, & emendat. Contra vero eidem, veter admodum, & acris, cuique multum coaguli injectum est, manifeste officit. Stomacho autem, cujus pelliculis, multa infarta sunt phlegmata, plurimum confert caseus, qui inveteravit, & ob id, quam prius, acrior, atque ardentior evasit; phlegmata enim acrimonia sua, incidit, abstergit, & infra subducit. Rursus vero, recens, ac mollis, huic maxime nocet.

SECUNDA est, caseum, priori loco exhibendum iis, quibus venter, majorem in modum, solvitur; posteriori vero, quibus idem, ob imbecillitatem non respondet. In universum namque adstringentia, si prius ante alium cibum, aut edantur, aut bibantur, alvum comprimunt. Quibus autem, ob imbecillitatem, venter non respondet, ii, molliendi virtute prædita, nempe olera, aut pisces, aut, id genus aliud presument; deinde adstringentia (quorum in numero, caseus etiam reponitur) quæ, dum ipsum firmant, ac roborant, deorsum in ventriculi fundum, ubi concoctionis officina est, propellunt, atque excretionem tandem incitant; (4) Id quod

---

¶ (4) *Quod non admitti potest. Excretiones*

ex veræ medicinæ peritis, neminem latere arbitror. Vide Galenum libro 2. de aliment. facult. cap. 22. ubi rationem tradit, cur rhetori cuidam, adſtringentibus, poſt alios cibos laxantes, ſumptis, venter fuerit ſolutus. Hujuſce rei meminit etiam Paulus lib. 1. cap. 181. De acido caſeo ita ſcribit Aetius lib. 1. cap. 101. Recens caſeus, qui ex acido lacte fit, & ob id *ὀξυγαλάκτινος* appellatur, omnium optimus cenſendus eſt. Nam, & in cibo jucundiſſimus eſt, & ſtomacho innoxius, præ omnibus aliis caſeis, exiſtit, minus ægre concoquitur, & minus ægre tranſit, neque vero valde craſſi ſucci eſt, quo crimine, in communi, omnes caſei ſunt infames. His addit Rhazes, acidum caſeum, exigua mole, ultimo poſt alios cibos loco ingeſtum, roborare os ventriculi, atque auferre etiam *ἀνορεξίαν*, ac nauſeam, quæ ex dulcibus, & pinguibus cibis proveniant.

---

potius, a cibis laxantibus, veluti ab oleribus, quam a caſeo roborante, & deorſum pellente, *ſunt repetendæ. Conſtat enim, alimenta vix abſumpta, illico inter ſe miſceri, & in unam maſſam confundi. Vid. Cap. VII. n. 2. T. I.*

C A P. XXXVIII.

De modo edendi et bibendi.

INter prandendum ſit ſæpe, parumque bibendum.
Ut minus aegrotes, non inter fercula potes.

Præcipitur inprimis hoc loco, ut inter prandendum, cœnandumve, in vicem, modo edatur, modo bibatur (1): id eſt, inter edendum ſæpius quidem, ſed parum bibatur; neque potus, quemadmodum ſupra quoque capite 32. dictum eſt, eo uſque differatur, dum venter cibo expletus videatur. Deinde vero, ut eo tempore, quod inter prandium, ac cœnam intercedit, potus quoad fieri poteſt, evitetur: & maxime, ſi ingeſtus cibus, in ventriculo nondum concoctus fuerit, niſi magna cogente neceſſitate. Interrumpitur enim, & impeditur primo, ſumpti cibi concoctio, ita ut eum incoctum, e ventriculo deſcendere contingat, appetentia cibi in cœna ſumendi dejicitur, corpus gravatur, & ad diſpoſi-

¶ [1] *De hac re, Cap. 32. n. 1. pauca, quæ ſufficiunt, dicta ſunt.*

tionem, in qua homo, neque ſanus, neque æger dici queat, ſive qualis ea eſt, quæ febrim præcedere ſolet; adducitur.

Ut vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

Cœnam a potu inchoandam eſſe, hic adſeritur. Sunt qui, hunc in modum exponant: Si vis vitare pœnam, id eſt infirmitatem, in principio cœnæ bibas, prius quam comedas. Sed inepta prorſus, ac invalida eſt hæc expoſitio. Secundum Medicos enim; cœnam, a cibo, quam a potu auſpicari; conducibilius eſt: Neque Angli ipſi; quibus præſens liber dicatus eſt, ejuſmodi morem, conſuetudinemve ſervant. Quacunque enim diei hora bibere voluerint, bolum ſere, ſive fruſtulum panis, præſumunt. Quare, quod dicitur, ſic intelligendum potius videtur: Incipe cœnam a potu; ideſt, a cibo liquido; & concoctu facili: Et hoc eſt, quod ait Hippocrates in aphoriſmis lib. 2. aphor. 11. Facilius eſt impleri (2) potu, quam cibo. Atque

---

¶ (2) *Divinus Senex aliter ſenſit, quam hic eſt interpetratum. Nimirum nutritionem, facilius per alimenta fluida, quam per firma fieri poſſe. Talia ſunt juſcula, lac primo loco, atque proinde omnia ea, quæ ad fluidi naturam magis accedunt. Vid. Cap. 7. n. 13., ubi de lacte, & Cap. 8. n. 24. de Juſculis. Tom. I.*

ejus quidem rei, hæc aſſignari poteſt ratio: Quia ſi cibus liquidus, & concoctu facilis, poſtremo ſumeretur loco, concoctionem ejus, multo citius, quam craſſi, ac duri, qui prius ingeſtus fuerit, perfici contingeret; Somnus enim, qui cœnam ſubſequitur, mirum in modum concoctionem adjuvat; Hancque ob cauſam, liquidus cibus, cum ob craſſum illum, nondum ex toto concoctum, ad exitum pervenire nequeat, nimis adureretur, aut certe, ſi exierit, craſſum illum, ſed incoctum, adhuc ſecum traheret, periculumque ita ei, qui comederit, non vulgare, compararet. De recto ciborum ordine, nonnihil etiam ſupra cap. *6.* diximus. Porro, de quæſtione hac, Utrum a potu, cœna inchoanda ſit, lege Conciliatorem different. 18.

Poſt piſces nux ſit, poſt carnes caſeus adſit.
Unica nux prodeſt, nocet altera: tertia mors eſt.
Singula poſt ova, pocula ſume nova.

Tria hoc loco peraguntur: primum namque verſus duo præcepta complectitur. Quorum PRIMUM, quidem eſt, ut poſt eſum piſcium, nuces in caſei locum ſubſtituantur. Quod tribus ferme modis probari ſolet. Ac primo quidem, propterea quod nuces collectionem [3] phlegmatis,

¶ (3) *Piſces, ob fluiditatem ſubſtantiæ, & pro-*

quod ex frequenti piſcium eſu generatur, caliditate, ac ſiccitate ſua diſcutiant, & diſpergant: Atque hinc ſane eſt, quod in Vere, quando nimirum, quadragenario jejunio corpora macerantur, ſummo ſtatim poſt alios cibos loco, nuces exibeantur. Deinde ea etiam quod piſces frigidioris fere, humidioriſque ſint temperaturæ, adeoque, difficilius ob idipſum concoquantur, tardius ſubducantur, & promptiſſime in ventriculo corrumpantur, ac putreſcant. Nuces vero, cum evidenter excalfaciant, atque deſiccent, eorum concoctionem adjuvent, pravitatem corrigant, & ad mediocre temperamentum perducant. Tertio vero, ob eam quoque cauſam, quod piſces interdum veneni (4) nonnihil in ſe contineant; nuces au-

---

priam indolem, facile putreſcunt; vel ſaltem in lentorem abeunt. Nuces vero, propter oleum, quod continent, ſubtile ſatis, & penetrans, talem diluunt lentorem. Sed melius fortaſſe hæc avertitur lenteſcentia, per condimenta acida, quæ non ſolum putredini reſiſtunt, & piſcium ſubſtantiam firmiorem faciunt, atque duriorem, ut melius viribus preſſoriis ſtomaci reſiſtere, & facile digeri poſſint, ſed etiam digeſtionem promovent. Vid. Cap. 6. n. 8. Tom. I., ubi de acrimoniæ acidæ ſignis, & effectibus: quod neque per oleoſa, neque per calorem, & ſiccitatem, aſſequi poteſt, niſi potius putredini faverent.

¶ [4] *Nemo hucuſque a piſcium eſu, ſibi mortem comparavit, neque unquam aliquod damnum,*

tem, ut copiose admodum ostendimus supra cap. 13. venenis adversentur.

SECUNDUM, ut post carnium esum, non nuces, sed caseus (5) exhibeatur. Caseus enim præstat, ut cibus ad fundum ventriculi, ubi concoctionis opus potissimum viget, promptius descendat. Quod de eo sane caseo, maxime intelligendum est, qui medium locum inter recentem, ac veterem sortitus sit.

IN SECUNDO deinde versu, de triplici agitur nuce: quarum una, quidem prodesse, altera nocere, tertia vero mortem inferre dicitur. Per primam autem, eam nonnulli intelligunt, quæ ob odoris præstantiam Moschata [6] vulgo appellatur: hæc siccat, & excalfacit, ordine secundo completo. Adstringit, oris suavitatem commen-

---

nisi ab enormi illorum repletione: quod a reliquis alimentis evenire potest, veluti ab erroribus in victu.

¶ (5) *Vis submittendi cibos, non in caseo, sed in ipso ventriculo, ob vim muscularem, residet. Vid. Cap. 7. n. 2. Tom. I. Potius caseus austerus digestionem promovet. Cap. supracit. n. 15. Recens vero, prout acescens, carnis putrescentiam impedire potest, sed hic, de recenti non loquitur.*

¶ (6) *Inter aromata, non abs re locari potest ob insignes virtutes, quas possidet, in Textu, infra adsignatas, ideo sæpissime in medicinæ usum cedit, quoties vires digestionis languent cum nausea, & stomaci frigiditate.*

dat, & fœtentis animæ virus, commanſa abolet; Lentigines in facie emendat, viſum acuit, [7] ventriculum, & jecur roborat; lienem abſumit; urinam ciet; fluentem alvum ſiſtit; flatus diſcutit, & frigidis uteri affectibus mirifice prodeſt. Per alteram accipiunt, vel nucem avellanam, quæ λεπτοκάρυον, ϰ̀ κάρυον ποντὶκον Græcis appellatur, vel eam, quæ in communi eſt uſu, & κάρυον βασιλικὸν Græce; Latine vero, juglans dicitur. Harum illam quidem nocere; (8) ob id

---

¶ (7) *Non videtur ejus virtutem in ſanguinem pervenire poſſe; neque ſanguinem ipſum ab impuritatibus defæcare, ut maculas faciei deleret, & oculos acueret. Hoc enim pharmacum, prout aromatum naturam præſeferens, acrimoniam ſanguini conciliaret in immodico uſu. Præterea neque in eo facultas eminet, qua poſſit aliquam evacuationem promovere, perſpirationis nempe, ſudoris, urinæ, quorum beneficio ſanguis deſpumatur.*

¶ [8] *Quoties* venenis adverſentur. *Vid. ſupra in Teſtu n. 4. & Cap. 13. Tom. I. Sequitur, ut mirabili virtute præſtent, quod licet adfirmare non audeo, neque umquam damna, quæ exponuntur, adferre poſſe, crediderim. De recentibus autem hoc ſentio: Quod ſuccus inde elicitus, emulſionibus a ſeminibus frigidis paratis, atque ab ipſis amygdalis, ſit omnino ſimilis, aut ſaltem ſpecie diverſus. Quid enim obſtat, ut ab iiſdem, emulſiones quoque parentur, non ſecus, ac ab amygdalis? Num amygdalis ſunt deteriores? Omnibus enim notum eſt,*

tradiderunt, quod ægre concoquatur, cibis in ventriculo supernatet, vomitus excitet, flatus generet, & largius esitata, caput tentet; hanc vero, quod pari modo concoctu difficilis, stomacho inutilis, biliosa, & tussientibus (9) inimica sit, capitique dolorem inferat. Ob hancque

---

& Pictores, satis clare norunt, oleum a nucibus elicitum, tenuitate, & levitate, omnibus reliquis, esse anteponendum, ita ut, colores, qui ab eo solvuntur, plus quam ab aliis, distendi posse, & nitidiores evadere. Dum autem recentes sunt, & humore turgent, oleum latitat solutum, neque quomodolibet pressæ, aliud præbent, præter lac vegetans, quod sic dici meretur. Quamprimum exiccantur, cogitur oleum antea solutum, & digitis pressæ, oleum dimittunt abundantius.

¶ [9] *Omnes utique, neque amygdalis exceptis, dum degluttiuntur parvula fragmenta, mox circa laryngem relinqunt, quæ, adveniente aeris inspiratione, hæc enim, deglutitionem, continuo sequitur, in asperam arteriam illabuntur; & diram excitant tussim; cum suffocationis metu. Hinc etiam caput gravatur, dolet, & rubent oculi, ab impedito sanguinis refluxu per jugulares venas in cavam, quæ in dexterum cordis ventriculum, nequit libere exonerari, quia arteria pulmonalis, quæ ab eodem ventriculo egreditur, & in pulmonem abit, suum sanguinem, nequit per eum transmitter dum stimulus viget, unde sequitur neque cor evacuari posse, ut sanguinem venosum recipiat.*

ipsam sane causam, nuces etiam dici a nocendo, Grammatici autumant. Græcorum quidam καρύα, quod χαρηβαρίαν, id est, capitis gravedinem faciant; nominari tradunt. Per tertiam vero jocose nonnulli, nucem interpretantur Balistæ, quod nimirum repentinam inferat mortem, Verum alii, nucem intelligunt Methellam: quippe quæ venenum sit ναρκωτικὸν idest, torporem inducens. Quarto enim refrigerat excessu, ita ut drachmarum duarum pondere esitata, statim interimat; minore vero mensura, temulentiam faciat. Et hos quidem effectus præstat, etiam in canibus, quibus necandis aptissima habetur. Lege Rhazen lib. 3. cap. 30. ad Al. Serapionem de simp. medic. cap. 365. & Avicenn. 2. Canon. cap. 508. Porro, ut grati etiam discipuli vicibus fungar, Georgii Sturtiadæ, medici eruditione, & experientia clarissimi, meique olim in re medica præceptoris observandissimi, de tribus hisce nucibus opinionem, huic quoque loco inseram. Is igitur, per nucem hic, aliud nihil, quam Juglandem intelligendum adserebat: per unicam quidem, paucas numero, quæ citra denarium consisterent, per alteram, quæ paulo largiore copia ingererentur: per tertiam vero, quæ immoderatissime sumerentur.

SECUNDUM hanc igitur interpretationem, unica nux, prodesse dicenda est, vel quod nuces lethalibus adversentur venenis: vel quod viridium, ac recentium nuclei decorticati, & ante alios cibos sumpti, ventrem leniter subducant: torrefacti vero aliquantulum, atque a reliquo cibo com-

manducati, ciborum in corporis distributionem adjuvent. Altera nocere: quod nimirum concoctu sint difficiles, ac caput, immoderatiore usu, tentent. Tertia vero, mortem inferre, quod præter iam dicta incommoda δυσεντερίαν etiam ad istum, ingesta, modum generet: quæ nisi præcipiti, & compendiario auxilio cohibeatur, mortem brevi inferat.

TERTIO demum versiculo præcipitur, ut post ovi cuiusque, recentis, atque mollis esum, haustulus, & præcipue vini, sumatur. Ejusque rei duplex fere adsignatur ratio. Ac prior quidem, quod ovum recens, ac molle, succi sit optimi, & concoctu facilis, parvaque mole, ut supra capite 6. ostendimus, plurimo, corpus reficiat alimento, idque vitello suo potissimum: vinum autem, cum natura eo delectetur maxime, præstat, ut a membris avidius attrahatur, (10) celeriusque ita permeet. Posterior vero, quod ovum tardius descendat per gulam (quæ Græcis proprio nomine οἰσοφάγος, ab οἴω fero, & φάγημα, cibus, quod cibum, & potum in ventriculum transvehat, Arabibus Meri nuncupatur) vinum autem, descensum ejus adjuvet.

¶ [10] *Per aquam potius, quam per vinum, alimenta, jam digesta, in sanguinem transire Cap. 17. n. 2. jam est demostratum. Laudatur vero post ovorum esum, vini potio, ad corruptionem impediendam, uti alibi.*

CAP. XXXIX.

De Pyris.

ADde pyro potum, nux eſt medicina veneno.
Fert pyra noſtra pyrus, ſine vino ſunt pyra virus.
Si pyra ſunt virus, ſit maledicta pyrus.
Dum coquis, antidotum pyra ſunt: ſed cruda venenum.
Cruda gravant ſtomachum; relevant ſed cocta gravatum,
Poſt pyra da potum, poſt potum vade cacatum.

Hic docetur in primis, ut ſuper pyrorum eſu vinum (1) bibatur, idque tum vetus, tum odoratum. Atque ejus quidem ratio, reddita eſt ſupra cap. 7. Pyra enim, ſanguinem ſeroſo replent ſucco, inflationeſque, ac colicos cruciatus ſuſcitant.

¶ [1] *Poſt Pyra, non ſolum, ſed poſt omnes fructus horæos, melius aqua bibitur, quam vinum. Vid. Cap. 7. n. 5. Tom. I.*

Vinum ergo, cum calfaciat, tenuet, flatus discutiat, & serosam redundantiam consumat, super ipsis convenientissime bibitur. Deinde nucem, veneno, medicinam esse traditur: de quo copiose supra cap. 13. Secundo, ac tertio versu dicitur, pyra absque vino commansa, esse virus, hoc est, nocere humanæ naturæ: cujus ratio jam reddita est, ne quis interim simpliciter, ut de illis, quæ excessu qualitatum elementorum, quarum mistione constant, aut propria qualitate, sive forma [ut vocant] occulta, venena esse noscuntur, ita de pyris quoque suspicetur: Sic enim commansa, perniciem subinde, vel noxam aliquam inferent, ac proinde arbor ea ferens, merito detestabilis esset, adeoque ob idipsum excindenda, atque in ignem conjicienda. Quarto versu innuitur, pyra recentia, & cruda, esse venenum (2), id est, nocere humanæ naturæ: Nam extra hoc, quod sanguinem, seroso, atque ebulliente, replent succo, inflationes, & colicos cruciatus excitant, phlegmata etiam, ac scabiem [3]

¶ (2) *Omnes fructus, propter humorem blandum, & refrigerantem, in aliquibus morbis, a salino spontaneo, vel alkali, notabiliter proficiunt; Sunt ergo antidotum contra hos venenatos humores, quos corrigunt, & temperant. Vid. Cap. supracit. n. 8. dictione* Calculum. *Et n.* 12.

¶ (3) *Phlegmaticis, atque frigidis temperamentis, nedum, horum fructuum usus excedat. Vid. Cap. supracit. n. 5. De scabie autem, aliter sentiunt Auctores, quod non a sanguine, aut a qua,*

generant. Cocta vero contra, ἀντίδοτον, id est, remedium præstant, perinde atque illa, paulo ante præstare diximus, quæ cum vino manderentur. Atque hæc sane, ultimo post alios cibos loco, sumenda potissimum sunt: ita namque excrementorum subductionem adjuvant. Quinto versu docetur, crudorum pyrorum esum, gravem esse stomacho. Ipsum enim, non a concoctionis tantum opere distrahit, sed flatibus etiam distendit. Cocta vero, e contrario gravatum stomachum levant, & reficiunt, inque suum pristinum vigorem restituunt. Ultimo tandem versu, hoc imprimis præcipitur, ut vinum super pyrorum esu bibatur: cujus quidem ratio, jam reddita est. Deinde, ut a pomorum esu alvus subducatur:

Quam rem Galenus lib. secund. capit. 21.

---

vis alia interna causa producatur; verum ab exteriori contactu, quo factum est, ut non per medicamenta interna, humores purificantia, sed per unctiones exterius admotas, possit curari. Testem habemus Helmontium, qui chyrothecas Puellæ scabiosæ induens, scabiem sibi adscivit imprudens, & cum, quamplurimis specificis usus esset, non convaluit, nisi a quodam Empirico, ni fallor, suasus, ut externis unctionibus hunc morbum consligaret. Hinc errant illi, qui non illico post eruptionem, scabiem sanare volunt, credentes per eam, sanguinis impuritatem depurari posse; sed potius purum sanguinem inficiunt: unde postquam altas egerit radices, difficulter nimis evellitur, cum ægrotantium tedio, & pruritus acerbitate.

de

de alimentorum facultate sic scribens confirmat poma acida, cum succum crassum in Ventre invenerint, ipsum incidunt, ac deorsum sublucunt, ob idque dejectionis humectant. Quod si ventrem purum invenerint, ipsum magis sistunt [4]. Porro succus dulcis, cum sine acrimonia, & crassitie, hoc est, solus plane fuerit, celerius, quantum in ipso est, distribuitur. Quod si acrimoniam, aut crassitiem habuerit, citius subducitur: Eadem habet Oribasius lib. 4. Synopseos ad Eustachium Silium cap. 69., & Avicenna 2. Canon. capite

¶ [4] *Omnia acida ventrem a corruptione solutum, propter victum animalem, mirabiliter adstringunt, quia corruptelam corrigunt, & eodem quoque tempore, fibrarum debilitati succurrunt. Num, de pomis acidis, hoc ipsum possit verificari, incertum. Verum quia in iis, non ita acidum eminet, ut utramque indicationem absolvat; sequitur ut ventrem tantummodo humectent, & lubricent. Vid. Cap. 7. n. 2. Tom. I. Resistunt vero cibis, ne forte putrescant; putrefactos vero, difficile corrigunt. Hoc vero, acidis austeris datum est. Hinc quoque liquet, hujusmodi fructus, jejuno stomaco ingestos, potius ventrem solvere, quam sistere: Cum aliis vero alimentis commisti, non idem effectum pariunt, vel longe minorem, quia vis eccoprotica, cum in humiditate consistat, perit statim ac, a firmioribus alimentis absorbetur, vel debilior fit. Experimur enim summo mane, ab eorum esu, superaddita aquæ potione, ventrem leniter solvi.*

569. Quin etiam hæc adſignari poteſt ratio, nempe, quod poma flatum in ventriculo excitent, flatus vero per anum deinde facile emittatur.



CAP. XL.

De cerasis.

SI cerafum comedas, tibi confert grandia dona.
Expurgat ſtomachum, nucleus lapidem tibi tollit:
Hinc melior toto corpore ſanguis ineſt.

Tria, ex cerasorum eſu, commoda, hoc loco recenſentur. Ac PRIMUM quidem, quod ſtomachum expurgent: idque de illis potiſſimum intelligendum, quæ una cum nucleis (1) manduntur.

¶ [1] *Omnes fructus, & ceraſæ præcipue, abſque magno ſtomaci labore, digeruntur, Vid. Cap. 7. n. 2. Tom. I. Facilius vero, ſi cum nucleis ingerantur, qui ſub preſſoriis ſtomaci viribus, ad ſe invicem allidentes, tamquam in durum obicem, reliqua alimenta intermedia melius conterunt. Obſervatum eſt aliquando, nucleos in inteſtino recto magna quantitate retineri, & in glomerem recol-*

Ad eum namque modum (ut nonnullis placet) ingesta abstergent, & emundant. SECUNDUM quod nuclei eorum, cum inde expressus succus, sive lac, (2) sumitur, peculiari quadam proprietate, lapidem non in renibus tantum, sed in vesica quoque frangant, & expellant. TERTIUM vero, quod quæ ipsorum, velut caro est, optimum

---

ligi, fæces autem, fluidiores tantummodo effluxisse, donec omni humiditate destitutos, exitum ex se moliri non potuisse nisi cum magno patientis molimine, & clismatum emollientium injectione, accedentibus torminibus, doloribus, & vertigine.

¶ (2) *Potius ille, qui a seminibus frigidis, per aquam exprimitur, uti emulsiones, quæ æstuationes in febribus ardentibus, aliisque, temperare solent, & urinam blande movere, quæ in turgentia, & majori oscillatione vasorum majorum, nequit separari, quia, quo hæc vasa turgent, & fortius micant, eo, vasa lateralia angustata quiescunt, unde laticem, & reliquos excrementitios humores, neque recipere, neque excernere possunt. Ob eamdem rationem, in renum affectionibus, in calculis retentis, in arenulis, aliisque huiusmodi, emulsiones satis præstant, quia una cum urina, quam liberius provocant, hæc omnia removent, & expellunt. Cæterum, nulla lithontbryptica vis eis tribuitur. Succus vero a cerasorum nucleis expressus, ob ingratam amaritiem, hoc idem nullo modo efficit. Melius econtra, ab ipsis cerasis obtineri potest. Vid. Cap. 7. n. 8. Tom. I.*

generet sanguinem, corroboret, & impinguet [3]. Et hoc certe experientia testatur, & demonstrat ratio. Siquidem in passeribus, qui cerasis plurimum delectantur, eo ipso tempore, quo hæc matura sunt, jecuscula, non paulo majora, quam alias reperiuntur. Unde hepar frequentiore cerasorum usu, augeri [4], ac roborari certo colligitur. Sed hic notandum, quod duplicia sint cerasa, crassa nimirum, & parva: ac crassa rursus duplicia, nempe dulcia, & pontica, sive acerba. Dulcia omnia, & parva, insalubriora sunt, facile corrumpuntur, & lumbricos in corpore generant. Crassa pontica quoque, duplicia inveniuntur. Quædam enim pediculo constant longiore, bacca

---

¶ (3) *Apud omnes Medicos inconcussum est, tunc corpus emaciari, quando in sanguine & humoribus quæcumque acrimonia viget, quæ nutritioni immediate opponitur. Similiter hanc acrimoniam fructuum usu, aliorumque vegetabilium, profligari, unde redit iterum nutritio. Vid. Cap. 7. n. 8. Tom. I.*

(¶) [4] *Augetur tantummodo in obstructionibus, non vero in optima valetudine, quæ cum in bona humorum diathesi reponatur, nequit haberi in hepatis affectione. Hoc enim viscus eo minus reperitur, quo salus præstantior est. Solummodo extenuatur in febre hectica, in qua raro, aut numquam obstructiones inveniuntur. Sufficit tandem, ut hepar nutriatur ita, ut functionibus suis prospicere possit. Vid. cap. 4. n. 3. T. I.*

etiamnum cæteris craſſiore, guſtu acerbo, & admodum acido, colore perpetuo rufeſcente, nec unquam in atrum vergente. Italis *Verle* dicuntur. Hæc tenera adeo, & fragilia ſunt, ut niſi ſub arbore ſua comedantur, facile geſtatu collidantur, & marceſcant: Quare non niſi recentia, atque in principio tantum menſæ ſumenda ſunt. Abſtergendi ſtomachi, & ciendæ appetentiæ vi, prædita ſunt. Alia denique craſſa, nigra, & maxime omnium pontica ſunt: quæ in compluribus Italiæ locis, *Maraſche* vulgo nuncupantur, a ſapore ſic dicta, quod non injucundi amaroris tantillum reſipiant. Ea ſummo, poſt alios cibos, loco edenda ſunt, ita ut, os ventriculi ponticitate ſua claudant (§): quo clauſo concoctio, & melius, & citius peragitur. Galenus, habita ceraſorum omnis generis mentione lib. 7. ſimp. medic. cap. 19. ſcribit in hunc modum: Ceraſus

---

¶ (5) *Tunc ora ſtomaci clauduntur, cardiæ nempe & Pylorus, quando a contentis cibis valide diſtrahitur. Hoc enim viſcus, præter alios fibrarum ordines, fibris longitudinalibus conſtat ab uno ad alterum os extanſis, ordine parallelo utraque amplectentibus, & claudentibus ſimul. Hæ in ſtomaci repletione contrahi nequeunt, ideoque ora ipſa fortiter conſtringunt, quæ non, niſi peracta digeſtione, & alimenta fluidiora facta, aperiuntur. Vid. Prælect. Boerhaav. T. I.* §. 812 *pag.* 150.: *adducentes „ Hæ ſimul agunt omnes, & longitudinem ventricul. minuunt . . . . . Hæ*

arbor, fructus fert, non paris adstrictionis in omnibus particulatim plantis participes. Nam, & in harum, sicuti etiam malorum granatorum, & malorum, quibusdam austera qualitas, in quibusdam vero dulcis, in nonnullis autem acida exuperat. Quinetiam ipsorum dulcium ea, quæ nondum cocta sunt, ac matura, quædam admodum sunt acerba, quædam similiter moris acida. Sed in moris immaturis, acida qualitas, acerbam exuperat, in cerasis, non semper. Ergo quæ dulciora sunt, magis quæ in intestinis sunt, subducunt, sed minus grata stomacho sunt. Contra austera. Quæcumque vero acida sunt, ea pituitosis excrementosisque quam stomacis sunt apta. Siquidem austeris, magis desiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porro ipsius arboris gummi, communem omnibus viscosis, & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatem obtinet, quæ, & ad arterias exasperatas accommoda est. Proprie autem, si quidem, quod quidam subscribunt, verum est, calculis vexatos adjuvat. Nam sic, illi tenuium partium inesset facultas quædam. Hæc ille. Plura Dioscorides lib. 1. cap. 126. Plinius lib. 15. cap. 25. & Simeon Sethi in Syntagmate.

„ *fibræ omnes incipiunt agere, quando ventriculus* „ *modice plenus est, neque prius agunt. Contrahuntur eo potentius, quo ventriculus valide* „ *distenditur; Hinc summe repletus, non evacuatur* „ *sed cum mirifico cruciatu distensus perstat ad* „ *mortem usque, vel ad paralysin &c.*

CAP. XLI.

De prunis.

FRigida sunt, laxant, multum prosunt tibi pruna.

Duæ prunorum facultates hic referuntur. Ac prior quidem, quod corpus mediocriter refrigerent. [1] Dulcia enim [quemadmodum lib. 2.

¶ (1) *Hæc virtus, plus minusve, omnibus inest fructibus, & vegetabilibus, ob partium simplicitatem, humoremque, nullo artis ministerio, nullaque oppositorum miscela, sed a simplici vegetatione acquisitum. Mirandum autem est, cur Pyrorum usum acriter Vetusti Auctores damnaverint, Prunorum vero altius extollerint? Nihilominus tamen Pyra, quæcumque sint, omnibus prunis sunt anteponenda: Nam hæc nimio glutine constant, & viscositate: unde in aliquibus, stomaco debilioribus, cardialgiam, vel saltem languorem inducunt, & ut plurimum, indigesta, vel vix mutata, egeruntur; Dum Pyra facile digeruntur, & integre in tenuem succum abeunt, humoribus temperandis, diluendisque, aptissimum.*

de medicaminibus ſimpl. purgant. cap. 19. a Meſue ſcribitur] calido frigido ſunt temperata, aut paulo frigidiora; humida ordine 2. μέσα in dulcacida, frigida principio ſecundi. Omnia tamen refrigerant. Quare Luſitani, qui calidam incolunt regionem, carnium ſuarum coƐturæ, pruna plerumque immiſcent, & potiſſimum Damaſcena. Poſterior vero, quod alvum moveant: (2) Et hoc Galenus quidem lib. 2. de aliment. facult. cap. 31. ita ſcribens confirmat: Corpori, inquit, ex hoc fruƐtu minimum alimenti accedit: utilis tamen eſt iis, quibus propoſitum eſt, ventrem mediocriter humeƐtare, ac refrigerare: Ipſum enim, cum humiditatis, tum lentoris ſui gratia ſubducit. Quod certe, de maturis intelligendum: cruda enim, quemadmodum Avicenna teſtatur, non parum adſtriƐtionis [3] præ-

---

¶ [2] *Acria minus, plus dulcia, mediocriter quæ utraque qualitate præſtant: Ideò in uſum Medicum uſurpantur, præſertim Damaſcena, ex quibus Diaprunum Antiquiores parare ſolebant, quod inter eccoprotica locabatur, quatenus absque turba, vel eretiſmo, alvum ſubducebat. Adſunt adhuc qui hæc eadem exiccata, & aqua calidè emollita, ante prandium, vel ſummo mane ingerunt, in alvi ſilentio, in nimia ſtipticitate, uti in hycondria, in qua aƐtviiora nullo modo conveni-re poſſunt.*

¶ (3) *Quod de omnibus fruƐtibus immaturis dicendum. Vid. Cap. 7. n. 4. Tom. I.*

sciserunt. Et quanquam posterior hæc prunorum facultas, non secus, atque prior etiam, Damascenis fere attribuatur, Armenis tamen potius abscribenda erat, ut quæ Avicenna, & Mesue testibus, præter cætera, magis alterent, largiusque solvant. Usui vero maxime sunt matura: immatura minus. Optima autem inter ipsa, & humanæ naturæ convenientissima, sunt oblonga; carne, cum dura, tum exigua, siccitate nonnulla participantia, cortice exteriore tenui, sapore non prorsus dulcia, sed μέτα, id est, dulcacida, qualia Damascena cum primis habentur: Hæc enim mediocriter humectant, ac refrigerant. Multa porro, & varia prunorum genera reperiuntur, non omnium tamen usus approbatur: Et ex ipsis, agrestia quedam parva, dura, acerbaque, & cibo injucunda, Galeno αγριοκοκκίμηλα, vulgo pruneola, sive prunula nominantur, Germanice, *Sleen*. Horum fructus, inquit Galenus libro 7. de simp. medic. facult. cap. 35. evidenter adstrictorius est, ventremque sistit. Quo fit, ut aquam, nonnulli ventri sistendo, accommodatissimam inde eliciant. Cæterum pruna, quæ ventris subducendi gratia sumuntur, in aqua frigida prius, quam ingerantur, aliquandiu præmaceranda sunt. Ita namque præparata, magis tum humectant, tum refrigerant; adeoque ad adpetentiam, quæ collapsa fuerit, excitandam; & ad flavam præterea bilem, quæ in ventre habetur, detergendam, ac subducendam accommodatiora fiunt: Quare biliosis etiam, non solum febribus, sed aliis quoque morbis, salubria redduntur: Pruna recentia, atque humida siccis valentius

quidem alterant, ſed excrementitium magis, & pejoris ſucci, corpori præbent alimentum: Sicca vero, non ſolum ad nutritionem accommodatiora ſunt, verum magis etiam corroborant. Quod de prunis hoc loco diximus, idem de cerafis quoque aliquo modo intelligi poteſt: ſed horum humiditas, quam illorum, ſubtilior, ac minus lenta eſt: quo fit, ut minus etiam alant. De prunis Dioſcorides lib. 1. cap. 134. Galenus, & Meſues, loci paulo ante citatis, & Avicenna lib. 2. Canon. cap. 539.



CAP. XLII.

De persicis, racemis, et passulis.

PErſica cum muſto, vobis datur ordine juſto
Sumere, ſic eſt mos nucibus ſociando racemos.
Paſſula non ſpleni, tuſſi valet, eſt bona reni.

Duo præcepta cum primis hoc loco traduntur. Ac primum quidem, ut muſtum cum perſicis bibatur, aut ſane, perſica ſimul cum muſto

exhibeantur. Mustum namque calfacit (1) admodum, ebullitionemque in corpore efficit sed persica ebullitionem hanc atque calfactionem frigiditate sua cohibent, & moderantur. Contra vero persicis, cum vehementius refrigerent, merito adhibetur mustum, quippe quod frigiditatem eorum, ne ventriculo noxam inferant, calore suo facile mitiget, ac temperet. De persicis supra cap. 7.

SECUNDUM vero, ut uvarum racemi cum nucibus edantur: quod de aridis potissimum, & antiquis nucibus intelligendum est: Virides etenim, ac humidæ, per se salubres censentur. Antiquæ vero, & aridæ excellenter siccant, adeoque, ob oleosam suam qualitatem prompte in corporibus accenduntur. (2) Jure igitur, uvarum

---

¶ [1] *Calefacere non est absoluta vini proprietas, sed spirituum, qui in vino continentur. Vid. cap.* 10. *num.* 7. *T. I. Spiritibus diffiatis, vel phlegma superest, & stomacum gravat, vel nauseam movet, aut acescit, & refrigerat, mustum autem omni spiritu caret, ideo non inebriat neque calefacit. Vid. cap.* 12. *n.* 4. *Tom. I.*

¶ [2] *Sed magna humidi quantitas in humano corpore prævalet, quæ tali accensioni resistere potest, quæ si non sufficeret, potus aquæ longe, quam uva efficacior esset. Neque nuces, etiam exiccatæ, corpus exiccant: imo potius propter oleum, quod magna quantitate continent humectant & fibras duras emulcent.*

racemi cum ipsis mandendi veniunt, ut qui exicationi atque inflammationi humiditate sua resistant. De nucibus copiose supra cap. 13.

TERTIO deinde versu traditur, passulas, sive uvas passas, lieni officere. Ipsum enim, communi ratione dulcium omnium, obstruunt, [3] atque lædunt. Hinc Galenus in libro de attenuante diæta cap. 9. in eum modum scriptum reliquit: Uvæ passæ, si non sint adstringentes, lieni quidem, & hepati tumentibus, non conducunt: thoraci [4] tamen ac pulmonis affecti-

---

¶ [3] *Omnes quoque fructus exiccati vasa opplent, & obstruunt, quoties cum victu humido, & tenui, vel potu aquoso, eorum tenacitas non diluatur. Vid. cap. 9. num. 21. T. I. Passulæ enim, ficus &c. in glutinosum spontaneum facile abeunt, ob quamdam viscositatem, quam concipiunt statim ac humiditas perit, quæ partium cohæsioni opponebatur. Ideo qui hepatis, aut lienis adfectionibus laborant, aliisque obstructionibus, illas vitare debent. Secus vero de recentibus, quorum usus valde salutaris in hisce morbis, atque in aliis a scorbuto ortis. vid. cap. 7. n. 8. T. I*

¶ (4) *Apud nonnullos decoctiones ex Passulis, & Ficubus paratæ in usum medicum mirabiliter cedunt, præsertim in Pectoris catharris, ob quamdam vim malacticam, quæ expectorationem promovet, quibus alia meliora expectorantia substitui possunt, majoris fortasse efficaciæ, stomaco minus molesta.*

bus conducunt. Renibus etiam conferunt, eos enim lavant, & abstergent, urinamque cient. Renes namque multa ad ipsos derivata humiditate, mundantur. Sed de his quoque supra capite 9.

CAP. XLIII.

De Ficubus

Scropha, tumor, glandes, ficus cataplasmate cedunt:
Iunge papaver ei, confracta foris trahit ossa.

Hic, duæ, ficuum, cataplasmatis modo impositarum facultates referuntur. Ac prior quidem, quod cum aqua, sive alio quopiam convenienti liquore decoctæ, humidæque impositæ, scrophulas, glandes, atque tumores discutiant. (1)

¶ (1) *Verificatur solummodo de simplicibus tumoribus, qui suppurationem promittunt, quibus cataplasmata ex ficubus, & Passulis in aqua coctis imponuntur, ut quam citissime pus conficiatur. Hæc enim agunt duplici modo, fibras tensas, ac rigidas relaxando, ut imminuta resistentia contra humorum impulsum, id quod suppurandum est,*

Per fcrophulas vero, quemadmodum doctiffime a Lano Cornario in cap. 8. lib. 1. Macri fcribitur, Latinis non recepto adeo vocabulo, ftrumæ intelliguntur. Videtur autem ex Græca voce factum effe. Sicut enim Græci χοιράδας appellant, quas nos, ftrumas dicimus, fic vifum fuit huic, qui primus fcrophas appellavit eos glandularum circa collum, ac guttur tumores, Græca vocis etymo exprimere: χοιράδες enim ἀπὸ τῶν χοίρων appellatæ funt, hoc eft, a porcis, ac fuibus: Vel quod, Avicenn. 3. 4. tract. 2 cap. 9. tefte, ob edacitatem, haud raro circa hoc animal reperiantur, vel quod earum figura, porcis plurimum adfimiletur. Per Glandes, accipiendus hoc loco abfceffus, ut Guidoni Cauliaco placet, utcunque mollis, unicus, mobilis, & feparatus a partibus circumjacentibus, in emunctoriis, plerumque nafcens. Vulgo *Hagedrufen*,

---

facile adfluat; necnon ut, emollitis nervis, & vafis, minor fit doloris fenfus; fimiliter humores acres, & nimis fubtiles demulcendo, & obtundendo, ut fuppuratio promptior fequatur. Reliquum incaffum adhibentur in Glandularum vitio, quæ vel in fcyrrum abeunt, & nullimode pus conficiunt ob humoris frigiditatem; vel in cancrum, quo cafu, disruptæ ichorem acrem, & erodentem fundunt, nullimode fanabiles, nifi per medicamenta interna, antequam altas egerint radices, fuerint curatæ.

talis enim a glandis forma, quam præſeferre videtur, nomenclaturam accepit. Lege Joann. Taganitium lib. 1. inſtitut. chirurg. cap. 13. Porro per tumores, quælibet inflationes, in quavis corporis parte exortæ, intelligi poſſunt. His enim omnibus curandis, ac maturandis, ficus in aqua, cum momento aceti, ut penetrationem earum adjuvet, decoquendæ ſunt, donec molleſcant: mox liquore per colum tranſuſo, ficus ipſæ in mortario contundendæ, ac cum eodem rurſus cataplaſma informandum. Cataplaſma autem proprie medicamentum vocatur, quam e plantis viridibus contuſis, vel iiſdem ad mollitudinem uſque in aqua decoctis componitur, idque innuitur etiam vulgato verſiculo:

Tunc cataplaſma facis, cum ſuccum ponis, & herbam.

Poſterior vero facultas: quod cum papavere impoſitæ ficus, fracta extrahant oſſa (2). Quo ſane loco erraticum illud papaver intelligendum eſt, quod in arvis paſſim naſcitur, flore ruſo, & ca-

---

¶ [2] *Oſſium fragmenta, quæ cum oſſe ipſo nequeunt iterum concreſcere, vel omnino ſeparata ſunt, & ab vulnere facile tolluntur; vel adhuc cum una extremitate adnexa ſunt, & cum hujuſmodi cataplaſmatibus ex ſe numquam ſecedunt, quod ut adſequatur, pulvere Euforbii Chirurgi utuntur, vel ſpiritu vini recte alkoolizati cum cariofilis, quæ neque ſufficerent, niſi manum diligenter adhiberent.*

pite pollicaris unguis magnitudine. Pueri in Scholis ἐγκαυστὸν, ideſt, atramentum librarium ex contritis florum foliis conficere ſolent. Germanice, *Klapper oft Koren roosen* Dioſcorides lib. 1. cap. 145. de foliis ejus, privatim teſtimonium præbet, quod cum ficubus, cataplaſmatis modo impoſita, ad extrahendum oſſa fracta conducant. Sed abſcribam ipſius verba Ἀνάγουσι δέ οἱ ὄλυνθοι καὶ ὁ στῦν μήκωνος ἀγρίας φύλλοις ideſt, groſſi cum ſylveſtribus papaveris foliis oſſa extrahunt.

Vermiculos veneremque facit; ſed cuilibet obſtat.


Duo hic traduntur effectus ficuum. PRIMO, namque ex largiore ipſarum uſu, pediculorum multitudo provenit: Quod de iis potiſſimum intelligendum eſt, quæ, ut refert Galen. lib. 2. de aliment. facult. cap. 8., & poſt hunc Avic. 2. canon. cap. 283. maturæ prorſus, ac ſiccæ ſunt: quandoquidem ſanguinem non admodum bonum, ſudoremque [3] multum gignunt, deinde

¶ [3] *Hæc proprietas viridibus ineſt ob virtutem diluendi, diſſociandique concretas humores. Siccæ autem, quia quadam viſciditate pollent, perſpirationem, & ſudorem impediunt. Vid. cap. 42. n. 3. Hinc cacochimiam corporibus conciliant, quæ Pediculorum productioni favet: in illis præcipue, qui Induſiam plus quam par eſt deſeruntur*

vero

vero ad ventrem irritant. Excrementitiæ enim sunt, & inflationes pariunt, quibus virga erigitur, & venereæ roborantur vires. Plura supra cap. 9.

Omnes enim, qui munditiei prospiciunt, Indusium non solum sæpissime mutant; sed etiam reliqua vestimenta, quæ longo tempore delata, ita vapore perspirabili imbibuntur, ut ingratum odorem concipiant, ad hæc animalcula excludenda satis apta. Senes utplurimum, quia parum perspirant, intra cutem, nimiam impuritatem retinet, unde molesto pruritu vexantur, & hisce animalculis excludendis suppetias præbent.



CAP. XLIV.

De mespilis.

Multiplicant mictum, ventrem dant
Mespila strictum.
Mespila dura placent; sed mollia sunt
meliora.


Duæ mespilorum utilitates, hoc [illegible] feratur: Una quidem, quod m[illegible]

nam multiplicent, atque augeant. [1] Quod certe, non primo, & per se, ac propria sui ratione efficiunt, sed ex accidenti. Fæces enim, comprimendo indurant, quo fit, ut ventris humor ad vesicam distribuatur. Quinetiam, ratio adsignari potest, similis illi, quæ est apud Hippocratem sect. 4. Aph. 83. Mictio noctu multa contingens, modicam alvi egestionem significat. Quoniam, inquit Philothæus, multa, & magis conferta distributio facta est in jecinore, & alio derivata est materia, ideo multæ urinæ fluxerunt, parum autem stercoris: & e converso, si multa stercoris dejectio fiat, pauca erit urinarum excretio, eadem de causa: nam parva distributio facta est, & ideo etiam parum urinæ, multa au-

---

¶ [1] *Humana Natura, tali comparata est modo, ut in statu sano, consueta excrementa, diu, sine noxa, retinere non possit: unde una excretione suppressa, aliam sibi, sapienti consilio, aperire solet. Fæces autem exiccatæ, & diu retentæ, nisi egerantur quamcitius, timendum, ne pejora mala adferant. Hoc ergo arcanum Naturæ opus, cujus ope, alicui suppressæ evacuationi supplet, generaliter accipi nequit, sed hoc modo tantum, videlicet, suppressa perspiratione, augetur urina & econtra. Diarrhœa superveniente, sudor, urina, perspiratio minuitur, quia licet per anum humores excerni possint, non sequitur inde, per urinam, per sudorem, fæces æque fæliciter posse dimitti.*

tem per ſtercus dejectio, quoniam in ventriculo maneat humidum. Altera vero, quod ventrem detineant: idque præſtant maxime, qualitatis ratione, quæ ineſt ipſis, acerba admodum, & ſtyptica. Ex quo infertur hoc loco, meſpila dura placere, quippe quæ, ob adſtrictionem, alvo fluenti, in cibo accommodatiſſime exhibeantur; ſed mollia eſſe meliora: ut quæ magis nutriant, & alvum minus ſiſtant. Illud porro neminem latere debet, omnibus hujuſcemodi, parce veſcendum eſſe, non autem affluenter, ut pyris, perſicis, ficubus, uvis, & ſimilibus. Nullo enim ipſorum, ut alimento, ſed ut medicamento potius indigemus. Quod ſatis quidem colligitur ex ſaporis acerbitate, & duritie ſubſtantiæ, ut quæ præterquamquod ſero in arbore, maturitatem conſequantur, minus etiam, quam ut edi queant, molleſcant. Atque hac ſane de cauſa, priuſquam edantur, reponi ſolent, donec emolliantur. Sic enim quamplurimum ex acerbitate, & ſtypticitate amittunt, & in cibo ſuaviora fiunt.



CAP. XLV.
De musto.

PRovocat urinam mustum, cito solvit, & inflat.

Tres hic enumerantur commoditates musti.

PRIMO enim urinam provocat, Siquidem fæcibus ejus, nitrosum quippiam inest, ac tergendi facultas, atque eam ob rem, ubi in vesicam descenderit, ipsam mordicans [1] ad urinæ pro-

¶ [1] *Mustum nequit urinam movere: hæc enim facultas tartaro tantum conceditur, quod non secedit a musto, nisi peracta fermentatione, quando mustum in purissimum vinum abit. Præterea tartarum, ideo urinam provocat, quia humores concretos resolvit, & attenuat ita, ut per tubulos urinarios, satis exilissimos, transire possint, quod, a musto mordicante non obtinetur. Vid. cap. 26. num. 1. Insuper si mustum in vesicam urinariam pervenerit, illamque mordicaverit, acerrimos dolores, dyuresim, & stranguriam efficeret, non vero urinam promoveret; quia vesica, urinæ conservandae tantum, dicata est, non vero ut illam a sanguine secerneret, quod renibus, ope arteriarum emulcentium datum est. Vid. Cap. 12. num. 4. Tom. I.*

fusionem impellit. Qui tamen versus non de quolibet musto, sed de eo solum intelligendus est, quod fæces habet mordicantes. Ejusmodi porro, ex Rhenensibus non pauca reperias. Mustum enim, cui fæces insunt crassæ non mordicantes, quemadmodum supra cap. 26. ostendimus, meatus obsepit, atque obstruit urinarios; ita ut urina potius supprimatur.

Deinde ventrem solvit: Viscera enim, nitrosa, & falsa fæcis suæ qualitate, abstergens, ad dejectionem incitat.

TERTIO vero inflat, quod quidem, propter eam contingit, quam in corpore excitat, ebullitionem. Inde enim flatus proveniunt. Sed de his omnibus satis supra cap. 26.



CAP. XLVI.

De Cervisia, et Aceto.

Crassos humores nutrit cervisia, vires
Præstat, & augmentat carnem, generatque cruorem.
Provocat urinam, ventrem quoque mollit, & inflat;
Frigidat, & modicum; Sed plus desiccat acetum.

Frigidat, emaciatque melancholiam dat, ſperma minorat,
Siccos infeſtat nervos, & pinguia ſiccat.

Duo hoc in loco peraguntur. Primo enim breviter, octo cerviſiæ proprietates percurruntur. Quarum prima quidem eſt, quod craſſos (1) humores in humano corpore generet: idque maxime, ſi vino comparetur. Porro juxta materiæ varietatem, unde conficitur, aliam in ſe, atque aliam recipit, vel incraſſandi, vel extenuandi humores, rationem. Siquidem, ex craſſiore ſubſtantia, craſſiores; ex tenuiore vero, tenuiores humores procreari par eſt. Secunda, quod robur

¶ [1] *Dummodo ex Hordeo, aut Avena conficiatur, potius humores diluit, & temperat, quam lentorem gignit, non ſecus, ac frigidæ decoctiones, quæ ex iiſdem parantur, in uſu medico frequentiſſimæ, ad æſtum, & calorem compeſcendum, & ſpiſſitudinem inflammatoriam reſolvendam, addito præſertim ſyrupo de ſucco violarum, & acido limoniorum. Cereviſia autem, quatenus à fermentatione reſultans, ingratum refert ſaporem, & quamdam acrimoniam, non omnino acidam, eo magis illa, quæ ex frumento paratur, in quo acidum, & alkali comprehenditur. Vid. Cap. 9. num. 1. Tom. I.*

addat. (2) Tertia, quod carnem augeat.

QUARTA, quod bonum gignat ſanguinem. Quæ quidem tres proprietates, potiſſimum intelligendæ ſunt, de cerviſia multæ ſubſtantiæ, non nimis recenti, neque nimis inveterata, ex optimis granis, rite, & perfecte cocta: qualis Erphordienſis cumprimis exiſtit. Ea enim multum habet ſubſtantiæ, boni eſt ſucci, uberrimum corporibus exhibet alimentum, & vires auget.

QUINTA, quod urinam provocet [3] quæ proprietas, claris maxime convenit cerviſiis, quibus plurimum incoctum eſt lupuli: qualis eſt Embecenſis. Ea namque ob lupuli copiam, celerrime penetrat, & urinam provocat.

SEXTA, quod ventrem molliat. Ejuſmodi, inter triticeas, Hamburgenſis exiſtit. Grati ſaporis eſt, multum ſubſtantiæ habet, copioſum, & boni ſucci alimentum præbet, ſanguinem bonum generat, & in ſolvenda alvo, per ſe, aut cum butyro Fryſico, primum locum vendicat. Minus tamen convenit illis, quibus caput, non admo-

---

¶ (2) *In alkali ſpontaneo, aciditate ſua, vaſis, & humoribus cohæſionem conciliat, circulationem promovet ſatis torpidam, propter ſanguinis globulos, jam reſolutos, & ſolidorum momentum debilius. Utrum vero* carnem augeat, & bonum gignat ſanguinem, *merito dubitari poteſt. Vid. quæ de vino dicta ſunt.*

¶ [3] *Hæc proprietas omnibus acidis, plus, minuſve comunis eſt. Vid. Cap. 8. n. 16. Tom. I.*

dum firmum eſt, quippe qui ex ea, facile inebrientur. (4)

SEPTIMA, quod flatibus ventrem diſtentat: idque maxime præſtat Cerviſia cruda, hoc eſt, male, & imperfecte cocta, quæ certe, prætérquam quod, ægre concoquitur, inflationes etiam, & obſtructiones gignit, urinamque remoratur; impinguat tamen admodum. In hanc claſſem Cotyra Hollandiæ referenda eſt.

OCTAVA, quod paululum infrigidet: Ejuſmodi cenſentur cumprimis, cereviſiæ Hollandiæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Flandriæ, & quibus plebei homines, vulgo utunrur. Eæ namque omnes, vino collatæ, refrigerandi facultatem habere videntur. Ubi ſciendum, cerviſiam confici poſſe ex avena, hordeo, & tritico: ſed juxta materiæ rationem, diverſa ei inducitur temperatura, ſive qualitas. Quæ namque ex hordeo fiunt, frigidiores evadunt. Hordeum enim refrigerat, ſiccatque in primo abſceſſu. Quæ, ex hordeo ſimul, atque avena, minus alunt, nec inflant, neque obſtruunt admodum. Quæ vero ex tritico, calidiores exiſtunt, magiſque, tum obſtruunt, tum nutriunt. Craſſiores cerviſiæ, tenuioribus, tardius concoquuntur, atque in corpus univerſum diſtribuuntur, magis tamen nutriunt: Tenuiores vero contra, cito alterantur, in partes corporis celeriter rapiuntur, movent urinam, & parum

---

¶ (4) *Liquores, qui ſpiritu volatili carent, non inebriant, ſicuti de muſto pariter verificatur.*

alunt. Mediocres omnia faciunt mediocriter. Pessima habenda est cerevisia, quæ conficitur ex rebus inebriantibus, nimirum ex lolio, vel chamæpeuce. Ea enim adeo efficitur valida, & halituosa, ut parum absit, quin bibentes paulo immoderatius, ad insaniam redigantur, maximum capitis dolorem generat, & nervos lædit. De cervisia plura supra cap. 17. & 18. Est præterea eruditissimum Joannis Placotomi de natura, & viribus cervisiarum opusculum in omnium manibus, unde facile suppleri queant, quæ hic desiderantur.

SECUNDO deinde loco, quinque aceti facultates enumerantur. Ac prima quidem, quod exiccet. Secunda quod refrigeret. De temperatura, vel maxima est inter autores controversia, aliis frigidum, aliis contra, calidum adstruentibus. In hoc tamen præcipui consentiunt, quod vim habeat refrigerandi magis, quam calfaciendi. Exiccat tertio gradu; estque valde tenuium partium, crassos, & glutinosos humores attenuat, atque incidit, humorumque putrefationi, vel maxime resistit. Eamque ob rem, Medici peste grassante, cum in cibo, tum in potu, aceti usum mirifice commendant. Hinc sane 3. 1. doct. 5. Avicenn. inter alia; sic ferme de eo scribit. Aceto præterea, pestis tempore uti, in cibo, atque potu, nocumenti ipsius securitatem præstat. Tertia; quod emaciet, hoc est; macrum reddat: Vehementer enim attenuat, incidit, ac desiccat, (5)

¶ [5] *Acetum, & acida omnia, non semper*

& excellentius, si, ut 3. 1. doct. 4. capite 5. Avicenn. tradit, jejuno usurpetur stomacho. Assiduus tamen, atque immoderatior ejus usus, plurima omnino adfert incommoda. Visum namque debilitat, pectus, ac pulmonem offendit, & tusses commovet. Hepati (6) quoque inimicum est:

---

humano corpori inimica, Medicæ Facultatis ignari, vel saltem hujus Arcani, obstupescunt, videntes, Acetum nunc nocere, nunc vero juvare. Virginibus cloroticis, languores, lypotimiam, vomitum, & nauseam excitat; Biliosis vero, & alkalina acrimonia laborantibus; adpetitum acuit, vires erigit, carnes, & nutritionem addit, corrigitque sanguinem. In primis; Bilis inertia, talia parit symptomata, excitanda igitur per medicamenta opposita; In secundis, Bilis, virtute sua nimis excedit, acidis ergo est corrigenda: Vid. Prælect. academ. Boerhaav. tom. I. pag. 177. (Actio ventriculi in ingesta) Prodest vero appetitui acidum, quatenus destruit salem alcalinum, qui appetitum prosternit. Si vero Bilis inertia, faciat; ut appetitus ciborum langueat, tunc vero nocent acida; & prosunt alkalina &c. *Ex vario hominum temperamento, vel morborum natura, factum est, acida non semper proficere, & aliquando exiccare.*

¶ (6) *Bilis effrena ab acidis corrigitur, ne forte in corruptionem abeat, ab eorum abusu, ita enervatur, ut tandem omni virtute destituta, suo munere fungi nequeat; unde obstructiones in ipso*

Siquidem, ut Tract. 3. ad Soltanum Babyloniæ, Rabbi Moses auctor est, ipsum rodit, sanguinemque ejus dealbat. Stomacho præterea, juncturis, & nervosis omnibus, mali nonnihil, immoderatiore usu, ingenerat, articularesque dolores, tremores, & paralysin excitat. Proinde, qui frigido sunt, & sicco temperamento, quique invalidum pectus, pulmonem, hepar, stomachum, & nervos habent, ab aceto abstineant, aut modice saltem, eo utantur. QUARTA, quod generet, melancholiam. Frigiditate enim sua, & siccitate, ipsum hepar refrigerat, & exiccat, atque ad generandam fæcem melancholicam, (7) opportunum reddit, quæ deinceps facile in veram melancholiam vertitur. QUINTA, quod Veneris adpetentiam rescindat, & semen imminuat. Nimium etiam attenuat, incidit, exiccat, & refrigerat. Cibariorum tamen adpetentiam suscitat. Harum facultatum libro tertio ad Almansorem cap. 17. Rhazes etiam meminit. Acetum, inquiens, frigidum est, & siccum, maciem efficit, virtutem destruit; [8] sperma minuit,

---

Hepate, in pulmonibus, aliisque visceribus. Vide Cap. 11. *n. 6. Tom. I.*

¶ (7) *Bilem, scilicet inertem. Eodem Cap. mox supracitat.*

¶ (8) *Semen nequit haberi perfectum, nisi post satis longam circulationem, quæ lentissimo perficitur motu, & per exilissima vasa, sub quo, ejus partes attenuantur, & ultimam perfectionem con-*

bilemque corroborat nigram; flavam vero demolitur, sanguinemque debilitat, & cibos, quibus admiscetur, attenuat, atque incidit.

ULTIMO tandem versu tria comprehenduntur. Ac primum quidem, quod macris [9] noceat. Cum enim acetum excellenter attenuet, incidat, atque desiccet; ex necessitate etiam, maciem auget. Quippe similibus, ut Galenus lib. 2. cap. 10. de sanit. tuend. testatur, quæmlibet excessum, augescere par est; contrariis vero remitti, aut minui.

SECUNDUM, quod noceat nervis; Exangues enim sunt: & cum tenue sit, valde eos penetrat. Plura de hoc supra cap. 17. in acida cervisia.

TERTIUM, quod immodice pinguia corpora emaciet: atque ejus quidem ratio, jam reddita est. De aceto plura Dioscorides lib. 5. cap. 17. Galenus lib. 1. de simpl. medic. facult. cap. 19. & deinceps & lib. 8. ejusdem operis cap. 22. & Simeon Sethi in Syntag.

---

sequuntur. Lenta vero cacochimia, enata ab acido spontaneo, variæ obstructiones adoriuntur ab humore lento immeabili, & ipsa vasa spermatica eodem glutine infarciuntur, unde bonum semen, data quantitate parare non valent: Deducitur ergo, temperamento calidiores, & biliosiores plurimum seminis producere, & ad libidinem facilius concitari, quam phlegmaticos, & frigidos. Similiter qui loca calidiora degunt.

¶ [9] *Frigidis, non vero biliosis.*

C A P. XLVII.

De Rapis.

Rapa juvat ſtomachum, novit producere ventum,
Provocat urinam, præſtatque in dente ruinam.
Si mole cocta datur, tibi torſio ſic generatur.

Hic tria cumprimis raporum recenſentur commoda. Ac primum quidem quod ſtomachum juvent. Secundum, quod flatus gignant. Tertium, quod urinam provocent. (1) Quæ ſane omnia de

¶ (1) *Hæc Vegetabilium ſpecies non acido, ſed alkali ſatis præſtat; qua de re humores lentos concretos incidit, & exitum promovet urinæ, ſudoris, aliarumque excretionum, non ſecus ac coclearia, Raphanus &c. quæ omnia in acido ſpontaneo, in lenta cacochimia, Hydrope, & obſtructionibus proficere videntur. In morbis Pectoris Juleb raparum apud vulgum in uſu eſt, ad anacatarſin promovendam. Nutriunt pariter Rapæ, vel quia revera partibus nutrientibus conſtant, vel quia lentores auferunt nutritioni inimicos, vel attenuant*

sis intelligi debent, quæ belle, & præcipue cum pinguibus carnibus percoquuntur. Ea enim jucundiora, ac gratiora ſtomacho fiunt, ſatis tum nutriunt, tum impinguant, ſed humentem, ac fluxam carnem creant, flatus, & genitale ſemen generant, Veneremque ſtimulant, urinam provocant, fauces leniunt, atque thoracem, ac viſum præterea, ut Avenzoar, & Averrhoes teſtantur, peculiari quadam proprietate roborant. Fertur etiam, quod fibræ illorum, ſive caudæ, alvum fortiter moveant. Atque hinc ſane vulgati excogitati ſunt verſiculi.

Radix rapa bona eſt, comedenti dat tria dona,
Viſum clarificat, ventrem mollit, bene bombit.

SECUNDO deinde loco duo eorundem referuntur incommoda. Nam, & dentes lædunt, & torſiones, ſive tormina in ventre ſuſcitant. Atque his quidem malis, cruda maxime obnoxia ſunt. Primum enim non ægre modo dentibus franguntur, verumetiam minus juſto in ventriculo conficiuntur: quo fit, ut, & ipſa corrumpantur, [2] & fœtidos præterea halitus dentibus ſuggerant, acciditque duplici ita nomine dentes offendi,

---

pro nutritionis comoditate. Boves, qui menſis ſpatio rapis veſcuntur, pingues evadunt, & carnes dant gratas guſtui, & teneriſſimas.

¶ [2] *Præſertim adulto vere, nam tempore hyemali eorum alkali nimus prævalet, a frigore repreſſum. Nihilominus earum abuſus, bilioſis potiſſimum, & calidis, ſcorbutum alcalinum gignit,*

commanducatione nimirum, & halitu. Deinde vero ad istum modum liberalius ingesta, concoctu sunt difficiliora, ac flatulenta magis, stomachoque noxia. Nonnumquam autem, & ventrem mordicant. Quorum posterius, etiam vulgato nobis indicatur versiculo:

Ventum sæpe rapis, si tu vis vivere rapis,

Crebrior raporum usus crassum (3) humorem generat, & obstructiones jecoris parit. Ventrem nec sistunt, nec movent. Inter radices tamen omnes, quæ quidem edendo sunt, rapa corporis nutritioni, vel maxime conveniunt, idque ex sa-

---

unde dentium erosiones, & gingivarum, ructus, tormina, fæces solutæ, & spiritus fœtidus sequuntur.

¶ [3] *Fluit per vasa sanguis speditiori motu, usquedum ejus globuli revera globuli sunt, quam plurimum in minores dividuntur, serosi evadunt, figuram spheroideam representantes, remittitur mo-tus. Globuli in unico puncto se tangunt, & vix a potentia moti, facile circumeunt, unde sanguinis fluiditas, prompta circulatio. Si quæcumque causa accesserit, quæ hanc globulorum figuram læserit, tunc augetur reciprocus eorum contactus, minuitur motus, & lentor adoritur, in quo character scorbuti alcalini repositus est, qui abusum ciborum animalium aliorumque, in quibus alkali sensibiliter prævalet, necessario sequitur, cujus ope sanguis, & humores omnes, in putridum liquamen abeunt.*

poris jucunditate facile deprehenditur. Ea enim eduliorum omnium natura eſt, ut amara, & quæ linguam contrahunt, minus: dulcia vero magis alant. Rapa autem cum aliis radicibus, dulciora ſint, minuſque linguam contrahant, majus etiam aliis præſtare alimentum, magiſque victus ſalubris rationi convenire, conſentaneum eſt. Sanguinem tamen craſſiorem, & melancholicum generant, cum minus juſto in ventriculo, ob concoctoriæ facultatis imbecillitatem, conficiuntur. Coctionem autem diuturniorem poſtulant, eaque ſunt laudatiſſima, quæ, primæ ebullitionis aqua ſegregata, & abiecta, bis percoquuntur. Cruda, ob prædictas paulo ante cauſas, nullo modo edenda ſunt. Cymæ raporum decoctæ manduntur, & urinam cient. Rapum muria conditum, vel cum aceto, & ſale ſumptum, minus quidem alimenti ſufficit, ſed multo magis appetentiam recreat. Hujus ſemen tritum, & magna copia hauſtum, Venerem ſuſcitat. Fertur, quod ſi quis hoc ipſum ſemen, cum calamintha, & Lemnia terra commixtum ſumat, eo die neque veneno, neque morſu venenati animalis lædi. Apperſum, inguinum morbis peculiari quadam proprietate medetur. Plura Dioſcorides lib. 2. cap. 104. Plinius lib. 18. cap. 13. Galen. lib. 2. de alim. facult. cap. 62. & lib. 6. de ſimp. medicam. facult. cap. 98. & Simeon Sethi in Syntgmate.

CAP.

CAP. XLVIII.

DE ANIMALIUM VISCERIBUS.

EGeritur tarde cor, concoquitur, quoque dure.
Sic quoque ventriculus; tamen exteriora probantur.
Reddit lingua, bonum nutrimentum medicinæ.
Concoctu facilis pulmo eſt, cito labitur ipſe.
Eſt melius cerebrum gallinæ, quam reliquorum.

Agitur hoc loco, de natura, & facultate viſcerum, quæ homines, cibi cauſa ex animalibus ſecant. Recenſeatur autem numero quinque. Quorum PRIMUM quidem eſt, (1) Cor tarde, tum

¶ [1] *Cor duriſſima conſtat ſubſtantia, quam ita dedit natura, ut ad continuum, & ſatis validum motum, a vitæ principio, uſque ad mortem exercendum, facile ſufficeret. Jam non datur caſus, in quo Cor quieſcere poſſit, abſque gravi ſyncope, quæ nimis protracta, mortem affert. Li-*

concoqui, tum per inteſtina deſcendere. Caro enim ejus dura eſt, cui, ut ægre concoquatur, & tardiſſime deſcendat, natura comparatum eſt: teſtis Gal. lib. 3. de aliment. facult. cap. 11. Cor, inquiens, ſubſtantia quidem ſua, caro eſt fibroſa, ac dura, ideoque ad coquendum eſt difficile, & tarde permeat. Huc jecur quoque referendum videtur. Nam ut ibidem teſtatur Galenus, omnium animalium jecur, craſſi eſt ſucci, ac ad concoquendum difficile, tardeque permeat. Renes, itidem, pravi admodum ſunt ſucci, & concoctu difficiles. Galenus ibidem cap. 5. SECUNDUM eſt, ſtomachum quoque ægre concoqui, & lente tranſire. Eſt enim membrum cartilaginoſum (2) ac nerveum, neque facile in bonum ſanguinem mutari poteſt. Cartilaginoſa enim, dura ſunt, nerveæ vero animalium particulæ, ſuccum abſolute pituitoſum gignunt. Oribaſio lib. 4. Synop. ad Euſtachium filium cap. 7. teſte, Galenus lib.

---

cet autem tarde digeratur, ſervatur tamen a corruptela etiam ſi in ſtomaco plus, quam reliquæ carnes retineatur. Sapor ejus nimis fatuus eſt, etiam propter adipis carentiam.

¶ [2] *Præter quinque tunicas, quæ ſtomacum componunt, membranoſam ſcilicet, muſculoſam, nerveam, celluloſam, & villoſam, cartilaginibus prorſus caret, quæ ſi adeſſent, reliquæ motu periſtaltico eſſent deſtitutæ, & de digeſtione actum eſſet. Earum ſubſtantia ſatis firma eſt, alioquin proprio munere fungi non potuiſſent.*

3. de aliment. facult. cap. 12. in hunc fere modum de eo scriptum reliquit: Durior carnibus est stomachus, ob id etiam, si rite conficiatur succum tamen gignet, non plane sanguineum, neque inculpatum, sed frigidiorem, ac crudiorem. Proinde multum temporis requirit, priusquam satis confici, & in probum sanguinem mutari queat. In extremis tamen partibus, nempe in fundo, & orificio, facilius conficitur, ut in quibus, pinguior sit, & carnium naturæ propinquior. TERTIUM est, [3] Linguam boni esse alimenti, idque maxime, Avicenna libro secundo Canon. cap. 145. teste, circa radicem. Illic enim suavissima est, facile concoquitur, & probum corpori alimentum præstat: quum fungosa alioquin, laxave sit, & respectu solidioris carnis, parum, alimenti habeat. Inter omnes tamen, porcellinæ, potissimæ sunt, ut quæ, ablata circumcingente pellicula, a structoribus, ac prægustatoribus Principum, carni æquiparentur aprugnæ. Bovillæ, ob exuperantem humiditatem, parum in vi-

---

¶ (3) *Quæ cum Corde quamdam servat analogiam, Nam sicuti continuo, & perenni motui dicavit natura, ita lingua, loquelæ, masticationi, deglutitioni, expuitioni inservire debet, & extra somni tempus, in quo quiescit, semper plus minusve, moveri debet. Insuper licet grato sapore careat, optimum alimentum corpori suppeditat, quia non secus, ac Cor, ob duriusculam substantiam, difficile corrumpitur.*

ctus ſalubris ratione commendantur. Quamobrem ipſis uſuri, obſonatricis artis periti, caryophylla inſerere ſolent, priuſquam aſſentur: ſic enim illarum humiditas contemperatur, edendoque accommodatiores fiunt. QUARTUM eſt, pulmonem facile, & concoqui, [4] & per inteſtina deſcendere; mollis enim admodum eſt, & rarus. Paulus libro primo, cap. 85. hæc ſic tradit: Pulmo facilius quidem, utpote fungoſus, concoquitur; ſed leviorem cibum præbet, pituitæ generandæ efficax. Agninus vero pulmo, licet pro alimento minus conveniat, medicamenti tamen vim poſſidet. Impoſitus enim, ut auctor eſt Dioſcorides lib. 2. cap. 34. & Galenus lib. 11. de ſimpl. medic. facult. capit. 8. attritus a calceamentis, contractos, ab inflammatione tuetur, & ſanat. [5] Idem tradit Avicenn. 2. Canon. cap.


¶ (4) *Ob quamdam flacciditatem, viribus preſſoriis ventriculi cedit, & tarde digeritur, etiam quia tota ejus ſubſtantia, vaſa ſunt aerea, nempe arterioſa, & venoſa; bronchialia, & pulmonalia, præter telam celluloſam, quæ licet muſculoſa tunica careant, compage ſatis firma conſtant; qua de re corruptioni minus eſt obnoxius, etiam quia muſculi meſocondrici parum humoris continent, vaſa vero multa, quod probatur a minima gravitate, quam ſub magna, continet mole.*

¶ [5] *Nemo eſt qui hoc fabuloſum medicamentum experiri velit, ſatis conſcius fallacis ſucceſſus, & inutilitatis.*

568. QUINTUM est, gallinæ cerebrum omnium esse præstantissimum. Ubi sciendum inprimis, cerebrum esse pituitosum, crassi, vitiosique succi. Lente transit, concoctioni adversatur, stomachum lædit, & nauseam excitat: ideo rectè vulgo, ad corrigendam frigiditatem, & humiditatem, cum sale, & pulvere zingiberis, aut piperis condiri solet. Suillum naturæ inimicum est: (6) Ovillum vero, vitulinum, leporinum, cuniculinumve, cum sale, ac calidis speciebus, mandi conceditur. Inter omnia tamen, cerebrum gallinæ facile primam laudem obtinet. Abunde enim nutrit, genitali semini adjicit, & cerebri substantiam auget, unde, & his, qui tardiori, leviorique ingenio, ac mente sunt, prodesse dicitur Dioscoridi lib. 2. cap. 43. sanguinem a cerebri membrana profluentem sistit. Quod Avicenn. lib. 2. Canon.

¶ (6) *Cerebri substantia in omnibus animalibus, quæ hominum usui dicata sunt, eadem semper est, aut si unum cerebrum ab alio differat, hæc differentia nos prorsus latet, cum nemo Anatomicorum, quamcumque adhibuerit diligentiam, cerebri vasa seorsim spectare potuit, & omnes injectiones frustra tentatæ fuerunt. Admirabilis Ruischii cera, innumera humani Corporis arcana detexit, cerebri fabricam nullo modo penetrare potuit. Cæterum quodcumque cerebrum efficacius nutrit, quam reliqua caro; atque fere totum, aut vix saltem immutatum, in cerebri substantiam abit. irca reliqua Vid. cap. 9. n. 11. Tom. I.*

cap. 128. & 296, ad fluxum sanguinis narium transtulit, nempe qui membranæ cerebri vitio, contractus sit. Cerebrum, inquit, gallinæ, prohibet fluxum sanguinis narium, accidentem ex velaminibus cerebri. Plura de hoc supra cap. 9.



C A P. XLIX.

De semine foeniculi.

SEmen fœniculi pellit spiracula culi.

Hoc in loco traditur, semen fœniculi, quod μάραθρον Græce dicitur, flatus dissipare, atque expellere, idque maxime ratione caliditatis: Nam, ut libro 7. de simpl. medic. facult. cap. 97. Galenus memoriæ prodidit, tam valenter excalefacit, ut ex tertio ordine excalefacientium censeri promereatur: desiccat verò non æque, sed ipsum quispiam hoc primi esse ordinis posuerit: perinde lac procreat: quod, si admodum desiccaret, non sane efficeret. Suffusis, eadem ratione auxiliatur, urinas mensesque ciet. Ex esu præterea seminis fœniculi, manant, & alia quædam commoda. In febribus enim, nauseam, & stomachi fervorem, ex aqua frigida potum, sedat, stomachum purgat, oculorum aciem reficit, & cum vino decoctum, virulentorum vermium ictus sanat. Con-


tritæ radices, & cum melle illitæ, morſibus canum medentur. Quæ quidem omnia a nonnullis, memoriæ gratia, hiſce verſibus incluſa ſunt.

Bis duo dat marathrum, febres fugat, atque venenum,
Et purgat ſtomacum, lumen, quoque reddit acutum.

Tranſcripta autem ea ſunt, partim ex Dioſcoride lib. 3. cap. 71. partim vero ex Avicenn. lib. 2. Canon. cap. 281. Quo ſane loco, inter alia refert Avicenna, etiam Democritum exiſtimaſſe, ſerpentes, & vermes venenatos, recentis fœniculi ſemine paſtos, ſenectam exuere, oculorumque aciem ſucco ejus reficere. Veris initio, ubi latebris relictis, in apricum prodiderint. Unde intellectum eſt, hominum quoque caliginem præcipue eo relevari. Plura hac de re Nicander ſub exordium Theriacon, Plin. lib. 8. cap. 27. & lib. 19. cap. 91. & lib. 30. cap. 23. Macer lib. 1. cap. 16. & Meſues cap. 1. de ægritudinibus oculorum. Attamen, cum concoctioni aliquantulum renitatur, & exiguum, pravique ſucci [1] alimentum corporibus exhibeat, non ut

¶ [1] *Repugnat omnibus fœniculi virtutibus, quæ revera in dubium revocari non poſſunt. Spiritus, ut dicam, fere votatilis in illis latet, & ſeminibus potiſſimum, qui lentos ſolvit humores,*

alimento, ſed ut medicamento potius, fœniculo utendum eſt. Proinde aliis interim cibis, ipſum, vice condimenti, & ut eorum pravitatem corrigat, adhibemus. Quemadmodum enim petroſelinum, nonnunquam cum lactucis, ut earum humiditas, & frigiditas contemperetur, ſic etiam cum cucurbitis interdum, aut rapis, ut pravitas eorum minuatur, fœniculum decoquere ſimul, & mandere conſuevimus.



CAP. L.

De Aniso.

EMendat viſum, ſtomachum confortat Aniſum.
Copia dulcoris aniſo ſit melioris.

Duæ referuntur utilitates aniſi (1).

circulationem excitat; Fibras torpidas ventriculi pruritat ita, ut contentum aerem excutiat. Viſum recreat hebetem, quia impuritates humorum per adauctam perſpirationem expellit. Graviores vero oculorum morbos ab organica mutatione, vel alio humorum vitio enatos, nullo modo abijcere valet. Si vero omnes has utilitates adfert, quomodo pravi ſucci alimentum corporibus exhibet.

¶ [1] *A Feniculo nil differt: Merito igitur tales facultates ei tribuuntur.*

PRIMO namque visum emendat, & maxime quidem foris impositum. Atque hinc sane apud Plinium lib. 20. cap, 17. naturalis hist. Epiphoris oculorum, e vino radicem ejus tusam, ab Iolla imponi solitam legimus: Ipsum cum croco pari modo, & vino, & pertritum cum polenta, ad magnas fluxiones, extrahendaque, si quæ in oculos inciderint.

Secundo deinde loco, stomachum roborare dicitur, quod profecto de semine ejus potissimum intelligendum est. Illud namque, ut lib. *6.* de simpl. med. facul. cap. 44. Galenus adserit, maxime utile est, acre, & subamarum, ut prope ad urentium accedat caliditatem. Est autem, & in siccando, tertii ordinis, sicut, & in calefaciendo. Stomachum igitur calefacit, & qui in ipso sunt, humores crassos, ac frigidos, lentosque attenuat, incidit, liquidosque, & expulsioni accommodos reddit. Inflationes quoque, quæ ab iisdem proficiscuntur, discutit. Atque hinc adeo fit, ut stomachus tum repurgetur, tum exiccetur, & onere, quo gravatus fuit, deposito, roboretur. Quinetiam visui, eadem ratione conferre existimandum est, quippe cui, nihil æque noceat, atque stomachi impuritas. Hinc enim impuri, fœtidi, & turbulenti fumi, ad oculos sublati, noxam spiritibus visivis invehunt. Melius ad hoc semper recens, anisum, plenum, non furfurosum, dulcedine, & odore præstans. Præter has utilitates, & aliæ quamplurimæ a Dioscoride lib. 3. cap. 55. a Plinio loco paulo ante citato, a Serapione c. 242. & ab Avic. lib. 2. Canon. cap. 1. recen-

ſentur. Oris enim halitum jucundiorem facit; doloris lævamentum præſtet, urinam ciet, diſcutiendi vim habet, aquam, quæ ſubiit cutem diſſipat; potum, ſitim ex ſalſis humoribus contractam extinguit, animalium venenis adverſatur; valet ad inflationes. Alvum, & alba fœminarum profluvia; toſtum ſiſtit, lac ad mammas elicit, Venerem ſtimulat. Dypſnæas a pituita profectas; toſtum purgat, cum melle ſumptum melius. Vetuſtis, & antiquis ex frigore hepaticis affectibus prodeſt. Jecoris, lienis, renum, uteri ac reliquorum etiam viſcerum obſtructiones tollit. Vias enim ab humoribus craſſis; frigidis, ac lentis præcluſas, & obſeſſas aperit. Atque ob id, febribus quoque opitulatur antiquis. Dolores capitis lævat, ſuffitum naribus: cum roſaceo tritum, inſtillatumque; fractis auribus medetur.



C A P. LI.

De spodio.

SI cruor emanat, Spodium ſumptum cito ſanat.

Spodium, ſanguinis profluvia hic ſiſtere traditur: quod, de Spodio, ab Arabibus nobis deſcripto, potiſſimum intelligendum venit. Hoc, ut ex Avicenn. 2. Canon. cap. 617. colligitur, non eſt, niſi radices cannarum, arundinumve aduſtæ.

Quare cum eo, quod Graeci αντισποδιων appellant, convenire videtur. Officinæ, Platearii nixæ teſtimonio, pro ſpodio, tam Græcorum, quam Arabum, oſſibus uſtis utuntur; quæ elephantis eſſe putant; quum veriſimilius ſit, bovis, vel alterius eſſe animantis oſſa. Quocirca cum verum, & Græcorum Spodium, (1) quod Tutiæ vocatæ ſpecies eſt, habeatur, ex Officinis prorſus hæc combuſta oſſa proſcribantur, ejuſque in Græcorum compoſitionibus cannarum Indiæ ſpodio, aut ſi illud haberi non poſſit, radicibus cannarum noſtrarum aduſtis, utendum erit. Græcorum ſpodium ſolum admovetur: Arabum vero etiam, ſu-

---

¶ [1] *Colligitur ex ſupradictis in Teſtu, Spodium eſſe remedium adſtringens, & vulnerarium, efficax ad ventrem ſolutum, ut in diſſenteria, lienteria, & Diarrhœa ſiſtendum, & ad Hœmorrhagiam per nares, per os, vel per uterum coercendam. Sub ejus nomine omnes cineres comprehenduntur; ſpeciatim vero illæ, quæ a metallis uſtis reſultant. Inſuper omnes radices combuſtæ, uti in Teſtu, præſertim cannarum Indiæ. Tandem in Officinis Farmaceuticis omnia calcinata, ſive foſſilia, ſive animalia, ſive vegetabilia ſint. Verum in uſum medicum, alia validiora vulneraria efficacius veniunt, quam antedicta, quæ re vera, ob ſatis notam inefficaciam, receſſerunt. Num vero præter facultatem adſtringentem, omnibus infra enunciatis præſtet virtutibus, numquam ſatis dubitandum eſt.*


mitur, & devoratur. Hoc ipſum itaque, ſanguinem undecumque etiam manantem, hic ſiſtere traditur, & maxime quidem, quod frigidum ſit, & ſiccum, valideque adſtringat: aut certe, quod ſumptum, ſive admotum, peculiari quadam proprietate, hepar, intemperie, vel naturali, vel quoquomodo adventitia, validius moderetur, ac roboret. Hoc autem viſcere [quod principium, ac fons ſanguificationis eſt] roborato, ſanguis ab eodem melius etiam retinetur. Pulvis igitur ejus cum ſtillatitiis liquoribus roſarum, & plantaginis in nares injectus αἱμοῤῥαγια earundem curat; Idem cum ſucco plantaginis contra αἱμοπτοσυν, & dyſenteriam efficaciter ſumitur. Quin & aliæ quamplurimæ, ab auctoribus ſpodio attribuuntur dotes. Siquidem cor quoque, proprietate quadam corroborat, & ſpiritus claros, ac ſolidos efficit: quapropter exhilarat etiam, atque lætificat. Potum, aut appoſitum calidæ, cardiacæ, & contractæ ab effuſione flavæ bilis, ad os ventriculi, ſyncope, calidoque cordis tremori auxiliatur: adjuvante ſcilicet talem ipſius actionem, facultate adſtrictoria, & maxime quidem in temperaturis calidis. In frigidis vero, cum croco temperatum eadem præſtat. Febribus confert acutis, ſitim ſedat, & immodico colerico alvi profluvio, atque vomitui ſubvenit. Puſtulis quoque, quæ in ore, & lingua erumpunt, prodeſt. Fervorem, furoremque flavæ bilis compeſcit, ventriculum roborat, ardori ejus, atque imbecillitati proficit, flavæque ad ipſum bilis, inhibet effuſionem. Contra melancholiam ex ſollicitudine, timorem de præte-

ritis, terrorem de futuris, & ad quaslibet animi perturbationes efficax eſt. Utiliter calidis oculorum abſceſſibus illinitur. Plura Rhazes lib. 3. ad Almanſ. cap. 36. Avicenn. loco citato, & tract. 2. de viribus cordis, cap. 3. Averrhoes lib. 5. collect. cap. 56. Serapion cap. 132. & Leonhartus Fuchſius lib. 1. cap. 17. de compoſitione medicam. Porro autem quemadmodum ſpodium, peculiari hepatis roborandi facultate præditum eſt, ita & aliæ nonnullæ medicinæ, aliis ſingularibus quibuſdam membris roborandis accommodatæ ſunt, veluti macis cordi, moſchus cerebro, glycyrrhiza pulmoni, capparis lieni, & galanga ſtomacho, id quod vulgatis etiam hiſce verſiculis comprobatur:

Gaudet hepar ſpodio, mace cor, cerebrum quoque moſcho,
Pulmo liquiritia, ſplen capparis, ſtomachuſque galanga.

Adnotatiuncula.

Hepar priorem ſyllabam longam habet. Eſt enim Græcum ἧπαρ, quare contra naturam hic brevis poſita eſt,



C A P. LII.

Sale.

VAs condimenti, præponi debet edenti.

Sal virus refugat, recte, insipidumque saporat.
Non sapit esca probe, quæ datur absque sale.
Urunt res salsæ visum, semenque minorant.
Et generant scabiem, pruritum, sive rigorem.

Tria hoc in loco peraguntur. In primis enim generale traditur præceptum, nemini hactenus, humaniori saltem, atque civiliori non observatum; nempe ut vas condimenti, hoc est salinum, primum in mensa apponatur: idque adeo vulgatum ubique est, ut hisce etiam versiculis decantetur.

Sal primo poni debet, primoque reponi,
Non bene mensa tibi ponitur absque sale.

Duo deinde salis recensentur commoda: Ac primum quidem, quod venenis resistat. [1] Cu-

---

¶ (1) *Venena acria erodentia, uti Arsenicum, sublimatum, & alia his similia, ab acidis, & salibus intentiora fiunt, & mortiferam vim adaugent; oleo dulci, Butiro, & similibus enervantur. Vid. cap. 35. n. 3. Ea vero, quæ a vegetabilibus eliciuntur, vel a morsu animalium rabidorum proveniunt, neque salibus cedunt. Imo, quia sales, contactu suo, fibras tendunt, & irritant, major, contra venenum opponitur resistentia,*

jus duplex adſignari poteſt ratio: Vel quod ſal vim habeat vehementer ſiccam, & adſtringentem, atque ob id, quicquid in corporibus humidum eſt, id omne depaſcat, reliquum, adſtrictione leniter contrahat, ejuſque rei teſtis eſt Galen. lib. 11. de ſimpl. medic. facul. cap. 50. ſic inquiens. Nam ſal, quicquid in corporibus humidum (2)

---

unde ſequitur, ejus vim intentiorem fieri. Nam venenum numquam venenum eſſet, niſi per vitæ vim, contra ipſam, in actum deduceretur.

¶ (2) *Humores corporis noſtri venena non ſunt, qui, ſi eſsent, occiderent continuo, etiamſi ſal magna copia introducatur. Conſtat econtra, quod humores, (urina, & Bile exceptis), omnes blandi ſunt, & fere nullius ſaporis, qui venenis potius adverſantur, quam eorum vices gerant. Homo humida temperie donatus, ſi grana decem ſublimati ingeret, minus torquebitur, quam qui ſiccam, & bilioſam temperiem ſortitus eſſet; atque multo minus, ſi aquam larga copia bibiſſet.*

Hydropicis, necnon illis, qui nimio humore abundant, ſal largius conceditur, non quia revera quod ſuperfluum eſt, poſſit exiccare, quoties, neque urinam, neque ventrem ſolvit: ſaltem longe minor ſequitur noxa, dummodo a ſuperfluo ſale ſitis moleſta non urgeat: quo caſu Ægri, cum nequeant ab aqua abſtineri, ita liberius bibunt, ut morbi cauſæ majorem fomitem addant, præſertim ſi humor, vaſis jam disruptis, in telam celluloſam effluxerit; quod facile cognoſcitur ab ineſtinguibili

inest, id quodammodo absumit, & quod reliquum est substantiæ solidæ, adstrictione contrahit, ac proinde etiam, conditura sua, carnes servat, & a putredine tuetur: Vel quod sal non solum humores e corpore ducendos, liquet, incidat, tenuet, purget, & exiccet: sed poros etiam, per quos veneni vis, in interiora corporis irruere solet, denset, ac constringat, adeoque penetrationem ejus intercipiat, & excludat. Secundum vero, quod cibos condiat, id est, sapidiores reddat: Nulla siquidem cibaria, citra salis commistionem sapere, quotidiano discimus experimento. Tertio demum loco, salis, sive persalsorum eduliorum, quatuor enumerantur nocumenta. Quorum primum quidem est, quod usu præsertim immoderatiore urant, hoc est, corrumpant, aut hebetem certe, ac debiliorem reddant visum. Ac hujus itidem, duplex adsignari potest ratio: vel quod oculi, ut supra cap. 2. ex Aristotele ostendimus sint de natura aquæ: res verò persalsæ, humidam ipsorum substantiam exiccent, & consumant,

---

siti, oris ariditate, urina parca, densa, plus justo colorata. Disruptis enim arteriis lymphaticis, humor tenuis, in telam cellulosam abit, necnon omnis aqua, quæ magna copia bibitur, vix vasa sanguifera ingressa, a crassiore sanguine recedit, quia cum eo, nullo modo misceri potest, & in cellulosam abit, neque per venas in sanguinem redibit.

adeo-

adeoque hebetudinem, ob id, visui adferant. (3) Vel quod a cibariis persalsis in ventriculo existentibus, mordaces admodum, atque acres resolvantur fumi, qui ad oculos sublati, ipsos acrimonia sua rodant, ac rubefaciant. Atque hinc sane, eos, qui salem excoquunt, rubros fere oculos habere conspicimus. Secundum, quod Veneris adpetentiam compescant. (4) Nam cum omnes, corporis

---

¶ (3) *Sal, qui excessu quantitatis cum cibis ingeritur, sub omnibus viribus pressoriis Corporis humani, & sub diuturna circulatione, humorumque miscela, semper idem persistit. Cum enim nullomodo in aliam substantiam utilem, aut saltem innoxiam, mutari possit, urinæ commixtus, de corpore egeritur; Verum cum sanguine, & reliquis humoribus commixtus, reliquus, qui ab excretione superest, nullum infert damnum: quamprimum vasa exilissima ingreditur, præsertim cutanea, in illis ob illorum angustiam, & lentam circulationem, propter maximam a Corde distantiam, sistitur, & partes ejus, quæ prius seorsim cum humoribus fluebant, concrescunt simul, vasa obstruunt, erodunt, & in squammulas supra cutim eminent. Ejus noxa in cute, & unguibus primum adparet, & quandoque in Capite, aliisque partibus, ubi pili vegetant, quos continuo destruit; tandem, excessu suo, etiam oculos, aliasque humidiores partes obsidet, quas antea, major humoris quantitas, defenderat.*

¶ [4] *Ob intensiorem stimulum, quem in ner-*

eſiccent, & conſumant humores, ſperma quoque neceſſario exhauriunt, ac minunt. Tertium, quod ſcabiem [5] generent. Acrem enim, ac mordacem procreant ſuccum, ſanguinemque adurunt, atque hinc profecto, ſcabies incidere conſuevit; Quartum, quod pruritum etiam excitent: mordacia enim, ac prurituoſa generant excrementa. Horum nocumentorum Rhazes etiam meminit lib. 3. ad Almanſ. cap. 17. Sal, inquit, ſanguinem eorum, qui multam ex ipſo ſumunt quantitatem, adurit: viſum quoque debilitat, atque ſperma minuit: pruritum generat, & ſcabiem. Ad hæc, ſerpiginem nonnumquam, & impetiginem, morpheamque, ac lepram progignit iis, quorum corpora ad patiendum ſunt parata. Quin urinarios etiam meatus, uſu præſertim immoderato, ac frequentiore excoriat. Modice tamen ſalſa, profligato faſtidio, adpetentiam revocant. Fertur præterea, quod ſi ſal cum aceto, & ſucco rutæ permixtus, pedum plantis diligenter infrice-

---

vis excitat, ad libidinem provocat. Vid. cap. 21. num. 2.

¶ (5) *Hæc lues, non ab interna cauſa provenit, ſanguinem infarciente, neque ipſa ſanguinem inficit, ſed ab externo contactu, per calorem, & inſenſibilem perſpirationem, comunicatur. Hinc errant illi, qui non illico ſcabiem ſanari poſſe arbitrantur, credentes ab immatura curatione, ſanguinem a morbi cauſa non depurari, & pejora adſerre incomoda.*

tur, non noxam tantum, ex vini crapula contractam curet, ſed iis etiam, qui cibos averſantur Græci ἀποσίτους appellant; aviditatem (6) reſtituat. Plura de Sale Dioſcorides lib. 5. cap. 90. Galenus lib. 9. cap. 30. & lib. 11. cap. 50. de ſimpl. medic. facul. Simeon Sethi in Syntag. Avicenn. 2. Canon. cap. 714. & Meſues lib. 2. ſect. 2. cap. 16. de medic. ſimpl. purgantibus.

CAP. LIII.

De saporibus, ac eorum qualitatibus.

Hi fervore vigent tres, ſalſus, amarus, acutus.
Alget acetoſus, ſic ſtipans, ponticus, atque
Unctus, & inſipidus, dulcis dant temperamentum.

Hic agitur de ſaporibus, ſive qualitatibus guſtatoriis: Ubi ſciendum inprimis, Saporem accipi, pro omni eo, quod guſtu dijudicatur. Species

¶ (6) *Aceto, & Rutæ potius effectus hic tribuendus, quam ſali, ſi unquam ſequeretur; ſed videtur conſenſus hic fide dignus, qui inter pedes, & Ventriculum ab Antiquis admittebatur.*

autem ejus, aliter ab aliis numerari solent. Galenus lib. 1. de simpl. medic. facul. cap. 38. non facile numero comprehensibiles esse tradit, a Theophrasto lib. 6. de causis plantarum cap. 1. & 5., ejus octo recensentur differentiæ, exempli gratia, dulcis, pinguis, austerus, acerbus acris, salsus, (1) amarus, & acidus. Quibus nonum

---

¶ [1) *Sal constat partibus admodum acutis penetrantibus, quæ adinstar cuneorum in humano corpore operantur, atque eo fortius, quo validius fibræ, a quavis potentia urgentur. Hæc potentia in ipsa vasorum vi peristaltica viget, sanguine quoque a tergo premente, cujus ope hæ partes, una cum humoribus, in vasa sensim minora, semper urgentur: humores vero facile in venas transeunt, quia fluiditate, & tenuitate, salis particulas, longe superant; illæ vero, huic potentiæ resistunt, a qua premuntur, contra eadem vasa, a quibus continentur, quæ tali modo pressa, dolent, convelluntur ad dilacerationem usque, cum acerrimo pruritus, & caloris sensu. Vid. Boerhaav. pag. 196. §. 914.* signa acrimoniæ muriaticæ... erosio lenta, pruritus, ruborem inducens &c. *Ex his enim infertur, salem in temperamentis athleticis, siccis, biliosis, majus damnum adferre, quam in obesis, & Phlegmaticis, quia in illis vasorum momentum, intensius est, & fortius aculeos salis contra vasa urget, quam in his, & in minori humorum quantitate solutos, facile in tensas fibras infligit.*

quoque nonnulli adijciendum putarunt, nempe insipidum, quem ἄποιον Græci vocant, quod extra omnem sit insignem, tum caliditatem, tum frigiditatem, mediam, quoad fieri queat, constitutionem obtinens, qualem præbet sensum aqua, plane omnis qualitatis vacua. Ex his, tres calefacere hoc loco traduntur; nimirum salsus, amarus, & acris. Sed in his non parva est majoris, minorisque ratio: Siquidem Acre, ut Avicenna 2: Canon. Tract. 1. cap. 4: confirmat, est calidius, hinc amarum, deinde salsum, quoniam acre, majorem vim habet resolvendi, incidendi, abstergendi, quam amarum: Salsum vero, est velut amarum, frigida aliqua humiditate retusum, hebetatumque; Secundo deinde loco, tres ex saporibus, statuuntur frigidi: Acidus videlicet, austerus, & acerbus. Ex quibus; acerbus tamen frigidior existit, mox austerus, (2) deinde acidus: Quod sane perspicuum evadit in omnibus fructibus, qui dulcescunt. Principio enim sese prodit acerbitas vehementis infrigidationis: processu deinde temporis, cum per solarem calorem, aliquo modo ad concoctionem ducti fuerint, austeritas in eis sentitur, qua sensim deposita, aciditatem acquirunt, sicut ὄμφακες hinc dulcedinem tandem adsciscunt; Acidum vero, quamvis acerbo minus sit frigi-

---

¶ [2] *Non semper frigidus, solummodo vero in acidis verificatur. In salsis autem, in alkalinis, in aromatibus, aliisque, calidus nimis. Vide mox supra*, signa acrimoniæ muriaticæ &c.

dum; tamen ob ſubtilitatem, & penetrationem ſuam, eo, in pluribus, majoris eſt infrigidationis. Acerbum autem, & auſterum in ſapore ſunt propinqua, ſed hoc nihil linguæ, præter extimam ejus ſuperficiem contrahit; illud vero, non modo extimam ſuperficiem; verumetiam interiora ejus contrahit, atque exaſperat. Poſtremo vero tres dicuntur temperati, id eſt, mediæ qualitatis, itaut, corpus, neque refrigerent excellenter, neque calefaciant: nempe dulcis, pinguis, & inſipidus. Dulce enim, licet calidum ſit; in ipſo tamen non adparet excellentia caliditatis, ut lib. 3. ad Almanſ. cap. 1. Rhazæ viſum eſt. Porro, ſuæ, ac propriæ, cuique ſapori adſignantur facultates.

Dulcia enim concoquunt, emolliunt, rarefaciunt, laxant, plurimumque corporibus exhibent alimenti, & impinguant. [3] Cum enim naturæ ſanguinis noſtri, & carnis proxime congruant, lingua avide excipit, ac voluptate, dilutioneque afficitur, eis fruens non læditur, non exulceratur ab eis, nec refugit ea, ut amara, ſeu acria. Ac ſane quicquid nutrit, ex genere dulcium eſſe oportet. Nam dulcia ungunt, implent, & reſtituunt eroſas particulas. Sed interdum excellenter dulcia nocent: quia cum ſint valde calida, &

¶ [3] *Alibi probatum eſt, præſertim ubi de vino ſermo contigit, omnia auſtera nutrire non poſſe; dulcia vero, ſive potius, quæ fatuo ſapore; vel leni prædita ſunt, facile in ſubſtantiam humani corporis abire.*

aerea, cito in igneam naturam transeunt, ut mel, & saccharum, (4) celerrime vertuntur in rubram bilem. Quare avidius usi saccharo, sæpe periculose inflammantur. Ad hæc, dulces cibi intemperantius eduntur, humorisque copiam generant, quam sequuntur interdum, vel putrefactiones, vel obstructiones, & abscessus hepatis, atque lienis: & maxime quidem, cum hæc viscera ad patiendum accommodata fuerint. Stomachum quoque relaxant [5] admodum, & alvum cient; Pectori tamen conferunt, & pulmoni, genitaleque semen augent.

¶ [4] *Excluduntur omnia, quæ nimiam sensationem in gustu excitant, ut in lingua, palato, labiis &c. quibus saccarum impositum, salivationem uberrimam promovet. Vid. cap.* 11. *num.* 1. *Tom. I. Non ergo lænit, sed irritat. Dulcia enim nutritioni inservientia sunt omnia, quæ nullum dant saporem, vel tantum innoxium, ut lac, jusculæ tenuia, ova recentia, & alia, quæ a quavis acrimonia longius distant.*

¶ (5) *Omnia dulcia, dummodo non acescant, stomaci tensas fibras relaxant, & adpetentiam minuunt. Quapropter etiam excretionem promovent, eccoprotica, quæ utplurimum dulcia sunt. Acida vero facta, stomaci ardorem nimis molestum excitant, & omnes humores, digestioni dicatos turbant, in illis præcipue, qui acido adficiuntur; resistunt tamen corruptioni.*

Amara meatus perpurgant, [6] abstergunt extenuant, humorum crassitiem incidunt, & linguam mordent, suntque in natura terrestri crassa, in qua excedunt calor, & siccitas, ut in Bile, Nitro, Marrubio, Absynthio, immodico usu, sanguinem cito adurunt, & corrumpunt, bilemque augent rubram.

Acerba, [7] Græcis στρυφνὰ appellata, recentiores pontica, a pungendo vocant, quo verbo medici quoque libenter utuntur, linguam contrahunt, & introrsum pellunt, ideoque constipandi, densandi, & adstringendi vim habent. Suntque in natura terrestri, crassa, frigida, & sicca. Ideo enim acerbus sapor, dicitur esse tardior, quam acidus,

---

¶ (6) *Non omnia, sed tantum Rhabarbarum, Aloe, Colocyntidis, atque omnia reliqua, quæ leniter tantum ventrem solvunt, & in viscerum obstructionibus conveniunt, ab humorum lentore productis. Cortex vero peruvianus, Cascherilla, radix Gentianæ, Absynthium, & alia nonnulla, stomatica virtute potius, quam solutiva donantur.*

¶ [7] *Minus pungendo, quam costipando operari solent, uti omnes fructus, ante perfectam maturationem, in quibus etiam, quidam aciditatis sensus percipitur. Acerbum enim compositum ex acido, & amaro dici meretur. Qui fructus, acerbos comedunt, linguam torpidam, & tumidam in ore sentiunt; & Buccæ ipsæ inter masticandum infra dentes molares truduntur, tanta est earum intumescentia.*

quia acidus eſt in natura tenuiore, & minus terreſtri; Acerba ſunt, fructus glandium, pyra ſylveſtria, & in genere, immatura poma; mala cydonia; ac magis immatura. Nam poſtquam maturuerunt; fit mi- ſtus ſapor; ex acerbo, & dulci, ſicut nucum, ex acerbo, & pingui. Sunt ςρυφνά, & fructus, qui vulgo Ribes dicuntur, Germanice; *Aelbeſikens*: Item caſtaneæ, corna, & poma Cynosbati, vul- go *Hainboten*.

Auſtera, Græcis αὔστηρα medicis etiam noſtri temporis στυπτικα a verbo Græco στύφω, dicta; contrahunt, conſtringunt, denſant, incraſſant; & infrigidant. Sunt enim in natura terreſtri, craſ- ſa; frigida, & ſicca, ſed plus habent caloris, & humiditatis, quam habent acerba. Frequen- tiore in cibis, ac immoderatiore uſu, humores abun- de extenuant, (8) inaniuntque, eoque ſanguinem

---

¶ [8] *Omnia acerba; acida, amara, & ſi alia ſunt his ſimilia, nullo modo in nutrimentum converti poſſunt, ob pertinaciam ſaporis, quam continent, nullomodo per facultates naturales, aut vitales corporis humani, corrigendam, uti de Vi- no &c. Vid. cap. 8. n. 14. T. I. Præterea hæc eadem in inteſtinis primum pariunt effectum; vir- tute nempe ſtiptica adſtringenti, & vaſa lactea, quæ in eorum cavitate hiant, chyli reſorptioni de- ſtinata abſtringunt, & claudunt, ita ut, ipſo chylo tranſitus impediatur: Jam ex anathome conſtat, hæc vaſa a peculiaribus ſphinterulis mu- niri, ne forte collapſa, rudiores particulas, alias-*

gignunt melancholicum, & corpus reddunt gracile. Ventriculum tamen, quemadmodum Galenus idipſum in lib. de cibis boni, & mali ſucci cap. 17. atteſtatur, corroborant. Omnia, inquit, quæ auſtera ſunt, laxum ſtomachum, ac ventrem firmant, ac tum præcipue, cum calida intemperie affecti ſunt. Hac enim de cauſa, atque etiam ad alvi fluxiones ſiſtendas, auſteris utimur vinis. Juvant enim ventriculum nativa ſiccitate, & aliquantulum adſtringunt. Pinguia ſive oleoſa, quæ Græcis λιπαρὰ, & vulgo unctuoſa nominantur, dulcibus vicina ſunt, aqueæ, [9] & aereæ ſub-

---

que impuritates admittere poſſint, cum ſanitatis detrimento. Quamprimum enim hæc ſphinterula, ab acerbis, amaris, aliiſque ſimilibus, attinguntur, continuo clauduntur, tantummodo aperienda, pro chyli, aliorumque ſimilium transmiſſione. Si vero hic rudis contactus, has nervoſas partes continuo lacesseret, vaſorum lacteorum ſequeretur obſtructio, quia ea vaſa, quæ ab aliquo fluido non permeantur, impervia evadunt. Hujus funeſtiſſimi morbi, Virgines cloroticæ exemplum præbent, quæ a morboſa voluptate allectæ, acerbos fructus devorant, & in diriſſimas obſtructiones vaſorum lacteorum incidunt, atque tandem in Hydropem, vel in Tabem.

¶ [9] *Aqua ignem extinguit; Adeps, & Oleum alunt, atque flammam excipiunt. Aqua inſuper, in longa ebullitione, omnis evolat, nullum ſui veſtigium relinquens; Adeps & oleum fer-*

ſtantiæ, leniunt, emolliunt, lubricant, laxant; concoquunt, maturant, & humectant, ſine manifeſta tamen calefactione. (10) Hæc ſi ſint mediocria, optime nutriunt: Sed immodice pinguia ſupernatant, abominabilia ſunt, & nauſeabunda, ventriculum reſupinant, concoctionem impediunt, flatus, & obſtructiones generant. Ad hæc, cibi quoque, antequam edendo, naturæ ſatisfactum ſit, ſatietatem adferunt. Quod Galeni teſtimonio confirmatur, qui lib. 3. de alim. facul. cap. 29. ita ſcriptum reliquit: Pinguia, & lenta cibaria, ſtatim ut ſumpta fuerint, celeriter implent, & appetentiam evertunt. Præterea, quod majus eſt, compluribus deinceps diebus, ipſorum eſum non ſuſtinemus. Febricitantibus, ac iis etiam, quibus ſtomachus, atque hepar, calidiora ſunt, non æque, ut aliis, conferunt; ipſis enim facile accenduntur, & in flavam bilem tranſeunt. Reliquis vero, phlegmatis generant copiam, ſomnolentiam pariunt, rationalemque mentis partem, reddunt hebetiorem. Carnium tamen, atque olerum coctura, non mediocre tribuunt condimentum.

---

vent, uſquedum aqua, quæ ſemper in eis reperitur, evaneſcat, poſtea quieſcit abſque exſiccatione. Vid. quæ dicta ſunt cap. 7. n. 31. Tom. I.

¶ [10] *Tumoribus, qui ſuppurationem minantur, exterius admota, perſpirationem impediunt, quia poros obturant. Augetur ergo obſtaculum ſanguini a retropellente, unde niſus quoque augetur, & ex hoc, calor intenſior, qui ſuppurationem parit.*

Acria, Græcis δριμέα, & vulgò acuta, non ſolum mordent, ac rodunt [11] linguam, ſed etiam penetrant; urunt, vulcerant, aperiunt, flatus diſſipant, tenuant, incidunt; ſeparant, reſolvunt; e longinquo attrahunt. Suntque in natura tenui, in qua excedunt caliditas, & ſiccitas: & ſuperant calore res amaras: Unde calorem augent, & corpus velociter inflammant, ac ſanguinem adurunt; ipſumque in bilem, prius rubram, deinde in nigram convertunt, ſiccant etiam, emaciantque; ac ſitim faciunt. Acria autem ſunt ut piper, zingiber, allium, cæpa, calx, & granum Gnidium, quod *Kellershalſz* Germanice vocamus.

Salſa, (12) Græcis ἁλμυρά, incidunt, tergent, tenuant, liquant, mordent, condiendo ſervant, & a putredine vindicant, conturbant, ſubvertunt ventriculum, & ad vomitum impellunt, deſiccant, citra apertam, aut caliditatem, aut frigiditatem, ſitim excitant; exaſperant, radendo expurgant, & aperiunt. Plura ſupra cap. 52.

Acida, Græcis ὀξέα, vulgo acetoſa, mordendo conſtringunt, & refrigerant, penetrant, incidunt, extenuant, dividunt, tergunt, farctu liberant, perpurgant citra excalefactionem. Sunt.

¶ (11) *De aromatibus jam ſatis cap. 22. n. 3.*

¶ (12) *Eorum uſus moderatus neceſſarius eſt. Appetentiam conciliat, & a corruptione præſervat: Abuſus vero nimis nocet. Vid. cap. 21. n. 2., & cap. 52. n. 2.*

que in natura, tenui, frigida, & ficca, in qua dominatur frigiditas. Nam quæ ſunt tantum acida, ſunt præcipue frigida, ut ὀξαλις, quæ vulgo acetoſa, & Germanice *Suaremper* nominatur, quia hæc, pure hunc ſaporem habet. Eſt, & ſpecies mali punici vere acida. Alia quædam ſunt mixtæ qualitatis, ut acetum, quod eſt ſubacre: quia etſi frigidum eſt, tamen retinet obſcurum calorem, ex vini corruptione: inde fit ſubacre; ſed tamen dominatur frigiditas. Cum enim exhalant [13] aereæ partes, & reliquæ manent terreæ, diluta aquoſa tenui parte, fit Acetum, ſua natura, frigidum. Acida, ſanguinis, atque rubræ bilis fervorem compeſcunt, &, ut lib. 4. Synopſ. ad Euſtachium filium cap. 29. Oribaſius atteſtatur, cum in ventriculo ſuccum craſſum inveniunt, eundem incidendo, alvum ſubducunt, (14)

¶ [13] *Solummodo quando cum alkalicis miſcetur, ſive abſorbentibus, efferveſcentiam excitat, & contentum aerem dimittit: hac autem peracta, evaneſcit aciditas, & de aceto fatuus ſupereſt apor.*

¶ (14) *In febribus putridis, cum alvi fluxu, & fæcibus ſolutis, a bilis corruptione exortis, omnia acida larga manu præſcribi ſolent, ad fuſionem impediendam, ſatis periculoſam. Hæc enim cohæſionem inter humorum partes, & ſolidorum elementa conciliant, vaſorumque vim augent, unde promptior circulatio, & urina, ſudor, perſpiratio copioſior. Neque repugnat, acida, ſolidas*

& ob eam causam fæces liquefaciunt. At si purum ventriculum inveniant, eum magis supprimunt. Corpus infrigidant, ac desiccant, concoctoriam hepatis facultatem debilitant. Nervis etiam, ac nervosis omnibus nocent. Adpetentiam tamen cient: quia humores vitiosos in orificio collectos, dividunt, & pellunt, & mordicatione non urente, irritant ventriculum. Ex insipidis, quædam magis nutriunt, nempe, quæ proprius ad æqualitatem accedunt, quædam vero mediocriter calefaciunt, aut refrigerant: Et hæc sane, si multa etiam humiditate prædita fuerint, humectantium; sin vero siccitas in eis exuperet, exiccantium ordini adscribenda veniunt. De his omnibus plura Galen. in libris de simpl. medicam. facult. præsertim lib. 5. cap. 25. Paulus lib. 7. c. 1. Aetius lib. 1. cap. 1. Rhazes lib. 3. ad Almans. cap. 1. Serapion sermon. 2. de temper. simpl. Avicenna lib. 2. Canon. tract. 1. cap. 3. Mesues lib. 1. Theoremate 1. & Philip. Melanth. in lib. de Anima.

---

partes roborare; fluida vero incidere, & adtenuare, quia sub intensiori vasorum momento, humores, qui excernendi sunt, facile excernuntur; & qui meliori conformatione indigent, melius conformantur. Insuper sanguinis globuli, sub acidorum usu, majorem acquirunt densitatem, perfectioremque figuram, ad circulandum aptiorem, & dum majori feruntur motu, in lentos humores impingunt, qui morbi causam constituunt, ad vasa lateralia pellunt, ut per emissaria excerni possint.

CAP. LIV.

De vippa.

Bis duo Vippa facit, mundat dentes, dat acutum
Visum: quod minus est implet, minuit, quod abundat.

Hic: quatuor recensentur commoda Vippæ: Primo, dentes mundat. Panis enim vino imbutus, diutius circa dentes moratur, (1) atque eam ob causam, facilius etiam fæculentam materiam, ipsis obhærentem, abstergit, ac consumit, quam

¶ (1) *Non ultra datum tempus masticationis, dummodo ex libitu non retineatur, quod fortasse plus damni, quam utilitatis inferret, quia omnia fragmenta alimentorum, infra dentium interstitia, plusquam par est, detenta, calore, quiete, & salivæ admixtione in aliam abeunt naturam, & ingratum odorem faciunt, cum gingivarum detrimento. Unusquisque enim post prandium, accuratius dentes mundare a ciborum reliquiis studeat, illosque confricare vino, aut saltem aqua pura diluere, ne quid infra eos remaneat. Circa reliqua, vide, quæ de vino dicta sunt.*

vinum per se sumptum. Deinde visum acuit. Malos enim fumos, qui e ventriculo cerebrum petunt, suaque permistione spiritus visivos obscurant, reprimit: adeoque materias pravas, stomacho inhærentes, concoquit, incidit, & deorsum pellit. Tertio, cruda concoquit: quia os ventriculi, leni quadam adstrictione claudens, concoctoriam facultatem roborat, plurimumque alimenti corporibus exhibet. Quarto vero, vitiosorum humorum multitudinem minuit. Eos enim concoquit, incidit, exiccat, & deorsum expellit: idque maxime, si panis assatus prius, aut super prunis exiccatus fuerit. Quin, eodem etiam modo superflue concocta ad *συμμετρίαν* revocat. Porro Vippa, Germanice dicitur, *een Winsoppe*, Gallice, *une Soupe*, *au vin*. De ea Hermolaus Barbarus cap. 65. lib. 5. corollarii in Dioscoridem ita scribit: Erat veteribus jentaculum, buccella ex vino, quod genus, Barbari, a vino, & pane, vippam vocant. De quo Atheneus lib. 1. Deipnosophist. ὧν sic ait: *πρωϊνὸν ἔμβρωμα, ὃ ἡμεῖς ἀκρατισμὸν καλοῦμεν διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν καὶ προσίεσθαι ψωμούς*, idest matutinum edulium, sive jentaculum, quod nos *ἀκρατισμὸν* vocamus, propterea quod panis buccellæ mero tingantur. Lege de eodem Plutarch. in Symp.

CAP.

CAP. LV.

De diaeta.

Omnibus adſuetam, jubeo ſervare diætam
Quod ſic eſſe probo; ni ſit mutare neceſſe.
Hippocrates teſtis, quoniam ſequitur mala peſtis.
Fortior hæc meta eſt medicinæ, certa diæta.
Quam ſi non cures, fatue regis, & male curas.

Quum primus, præcipuuſque, non ſolum morbi cujuſvis curandi; ſed ſanitatis etiam tuendæ ſcopus, ut in libro, qui de facile parabilibus inſcribitur, cap. 48. & in præſagio, experientia confirmato cap. 5. & in lib. de attenuante victus ratione cap. 1. Galenus adſerit, in exacta victus ratione conſiſtat: operæ pretium fuit, de ea etiam hic, aliquid præſcribi. Præcipitur ergo in primis, ut ſervetur conſueta (1) diæta. Per

¶ (1) *Aliquibus alimentis aſſueſcimus du[illegible]*

quam sane, administratio sex rerum, non naturalium, modo intelligenda venit. Et ratio quidem est, quod transgressio a consuetudine, noceat nocumento magno. Consuetudo enim, est altera natura: quia, ut lib. 1. cap. 11. Rhetoricorum

---

quidem modo, vel quia temperamento consentanea sunt, uti pastacea, & subacida biliosis, carnes, & his similia Phlegmaticis, & qui acido affliguntur, vel quia in teneriori ætate, a majoribus, ea, quæ non sine ratione horremus, edere cogimur Nihilominus quædam alimenta, ita ab incognita causa aliquibus nocent, ut sine gravi incommodo ferri non possint. Vidi Mulierem athleticam, quæ omnia durissima alimenta facile ferebat, gravi cardialgia torqueri, quoties ova, tum simplicia, tum ferculis sociata, vix gustaret. De medicamentis, idem quoque verificatur. Nam nonnulli, ab usu Rhabarbari, dira Colica afficiuntur, cum torminibus, & inanibus excernendi conatibus. Alii, ab aliis purgantibus, etiam male se habent, vel nullam evacuationem obtinent. Ideo prudens Medicus, scire debet ab ipsis ægrotis, quo Pharmaco usi sunt, & quod facile ferant. Boerhaav. Tom. 6. de Method. medend. pag. 267. §. 1086. num. 11. Natura consuetis gaudet, ægre fert insolita, quæque. *Verum qui perfecta gaudent sanitate, cavere debent prudenti consilio, ne eidem vitæ tenori se assuescant, dummodo liberi sint, & sui juris; nam vix adulta ætate, ab eo nullo modo recedere possunt, vel saltem cum gravi discrimine.*

ad Theodecten, & lib. 7. cap. 10. Ethicorum, & cap. 2. de memoria, & reminiscentia, ab Aristotele scribitur, consuetudo est eorum, quæ ut sæpe, sive ut plurimum fiunt: Natura eorum quæ, ut semper. Sæpe autem, & semper, sunt sibi invicem propinqua. Quod est ergo diu adsuetum, in naturam fere transivit: quemadmodum igitur naturam custodire opportet, ita, & consuetudinem, si laudabilis fuerit. Et quemadmodum consueta cibi, & potus administratio, eadem ratione, & aliarum rerum non naturalium observanda est. Unde si quis consuetus, multum laborare, velit hanc consuetudinem immutare, otioque indulgere, minusve laborare, vel aliud laboris genus adsumere, idque alio, & tempore, & modo, ille procul dubio multum ex hoc, debilitabitur. Idem intelligendum de cibo, ac potu, somno, & vigilia, repletione, & inanitione, & animæ accidentibus. In quibus omnibus, consuetudinem observare decet, & maxime quidem, si sit laudabilis, vel ab hac non multum declinet, sive medium etiam locum, inter bonam, ac malam obtineat: respectu nimirum illius, ad quod fieri debet permutatio. Porro, quanta sit vis consuetudinis, vel inde colligas, quod debiles, & senes, consuetos labores facilius ferant, quam fortes, atque juvenes inconsuetos: quod profecto sect. 2. aphor. 49. Hippocrates etiam hisce verbis confirmat: Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis, fortibus, atque juvenibus, facilius ferunt. Quod dicit, inquit Philotheus, tale est: Sunt

duo, hic quidem ſenex; ille autem in conſiſtenti ætate, ambo incipiunt fodere, & huic quidem ſene contingit recte fodere, illi autem, qui eſt in conſiſtenti ætate, non recte; ſeni quidem, ob conſuetudinem, recte, quamvis ſit imbecillus; juveni autem, non recte, cum non adſuetus ſit. In univerſum enim oportet cognoſcere, fortiores, aliis, fieri partes, quæ exercentur, & hac de cauſa, ſolitos labores facilius ſuſtinere. Ex hoc autem particulari exemplo, licet nobis, & de omnibus ratiocinari. Deinde vero, malam peſtem, hoc eſt, maximum periculum ex repentina conſuetæ diætæ permutatione ſequi, confirmatur aucthoritate magni Hippocratis: nempe ex lib. de vict. rat. in morb. acut. aphoriſm. 15. ad 19 ubi ſic inquit: Atqui facile eſt hoc addiſcere, quod ſimplex victus, cibi, ac potus, ipſe ſibi ipſi ſemper ſimilis, ſecurior omnino eſt ad ſanitatem, quam ſi quis repente ad alium meliorem, magnam mutationem faciat. Nam, & his, qui bis in die cibum ſumunt, & his qui ſemel, repentinæ mutationes, noxas, ac ægritudines inducunt. Et eos ſane, qui prandere non aſſueti ſunt, ſi pranſi fuerint, ſtatim infirmos facit hoc, & toto corpore graves, & debiles, & pigros, &c. Aelianus quoque ab initio lib. 5. de varia hiſtoria, Tachi cujuſdam exemplo, admodum diſerte nobis ſignificavit, quam periculoſa ſit repentina diætæ permutatio. Tachus Aegyptius, inquiens, donec uſus eſt vernaculo victu, & frugaliter vixit, omnium hominum fuit ſaniſſimus, Poſtquam vero ad Perſas venit, &

in illorum luxum delapsus est, cum non posset ferre insolentiam ciborum, vitam in dysenteria transegit, & luxuriam cum morte commutavit. Quanquam autem non sanis tantum, sed ægris quoque adsueta victus ratio diligenter observanda præcipiatur; haud tamen raro incidit ejus permutandæ necessitas: quando nimirum illaudabilis existit, ita ut, nisi permutetur, perniciosæ inde consequantur ægritudines. Talis autem eorum est, qui prandium, aut cœnam pravis [2] terminare solent alimentis. Ejusmodi igitur consuetudinem necessarium est corrigi, ac permutari; non quidem subito; sed paulatim, & ordinate. Omnis enim subita permutatio vehementer nocet, maxime si a consueto, ad inconsuetum transitus fiat: Hinc est, quod in libro de natura hominis, Aphor. 19. ita scriptum reliquerit Hipp.: Detrahendi sunt cibi, ac potus, quibus uti consueverunt, idque paulatim facere oportet:

¶ [2] *Ex adverso licet quædam alimenta ab aliquibus ferantur absque noxa, cum revera noxiæ sint, ob longam consuetudinem; expedit tamen, ut ab eis paulatim se abstineant: quia quamprimum ætas adoleverit, deficit naturæ robur, & ea invadunt mala, quæ sub valida Natura siluerunt. Qui vino, nimis indulgent, aromatibus, salsis, aliisque, non illico sub eorum abusu, in acidum spontaneum, vel in aliam discrasiam, incidunt. Sed lapsu temporis, & fortasse, quando in se reversi, abstinere incipiunt.*

nam si quis cito diætam permutet, periculum est etiam, a permutatione, aliquid in corpore novatum iri. Quinetiam laudabilem victus rationem, interdum mutari necesse est, quo [si quando necessitas inciderit,] natura non offendatur, insolentia, novitateque, neque renuat, neque recuset. Nam qui, omni diætæ sese adsuefacit, minus læditur, cum ad inconsueta transire cogitur. Eadem, in aliis quoque rebus non naturalibus ratio est. Quod Hippocratis etiam testimonio confirmatur, qui sect. 2. aphor. 50. ita scriptum reliquit. Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari. In cujus quidem sententiæ explicatione Philotheus inter cætera sic inquit: Cum enim quodque ipsorum factum sit peculiare, minus lædit, quamvis ex sua natura molestum sit, si nondum in consuetudinem venerit. Verbi causa, solitus est aliquis manna comedere, hic, si ad bonum cibum sumendum convertitur, læditur, cum adsuetus non sit: adsuetus est aliquis aquæ potioni, si præter consuetudinem bibat vinum, offenditur, quoniam consuetudo contemnitur. Oportet igitur ad insueta permutari, ut, si necesse sit, ea, quæ offeruntur, ferre possimus. Utentem enim copioso nutrimento, oportet etiam, parum cibi quandoque assumere, ut, si contingat, ferat etiam illius usum. Hinc est, quod Cornelius Celsus lib. 1. cap. 3. in hunc etiam modum scripserit. Nimis otiosa vita, utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas. Neque etiam ex nimio labore

ſubitum otium, neque ex nimio otio ſubitus labor, ſine gravi noxa eſt. Huc igitur reſpiciens Hyppocrates rectiſſime conſulit, conſuetudinem eſſe mutandam. Proinde non temere à Plutarco in libro de tuenda bona valetudine, in hunc modum ſcribitur; Exacta illa, & vehementer ad unguem, ut dici ſolet; obſervata vitæ ratio, ſimul, & corpus formidoloſum reddit; ac periculis obnoxium, & animi frangit vigorem. Quocirca cavere quiſque debet; quemadmodum lib. 4. cap. 10. ad Almanſ. prudentiſſime Rhazes monuit, ne alicujus rei ſibi conſuetudinem faciat, quam deinceps ipſum obſervare neceſſe ſit, Exempli gratia: Si quis uno cibo conſuetus ſit uti, vel aliquo potu, vel omnino ab eis abſtineat, vel dormire, vel moveri, vel egerere, Venerive indulgere conſueſcat: & ab aliquo iſtorum impetuoſe irritetur, maximum incurret nocumentum, ſi ab eis abſtinuerit. Quapropter quiſque corpus ſuum debet, ita præparare, ut caloris, & frigoris patiens eſſe poſſit, & ad motiones, & cibaria ſibi neceſſaria aptum reddatur, & ut ſomni, & vigiliarum horas; atque manſiones, & domos, ſine læſione permutare queat. Fortaſſis enim, ex neceſſitate, idipſum quandoque facere cogetur: Poterit autem commode, ſi conſuetudinem non obſervet ad unguem; ſed interdum ad inſueta tranſeat. Porro quo tempore, quove modo, conſuetudo mutanda ſit, copioſe admodum docent, Galenus lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 3. de Sanitat. tuend. & lib. 8. cap. 9. method. medend. Conciliator different.

98. & Hieronymus Cardanus lib. I. tract. 6. Contradictione 2. Tertio demum loco traditur, fortiorem, ac potiorem medendi metam esse, certam diætam: Quam sane si medicus curare noluerit, ac aliam quamdam, eamque non satis commodam administraverit, stulte ægrum regere, ac male curare merito dicetur. Sciendum est autem, apud Galenum hæc alimentorum genera inveniri, copiosum, medium, tenue. Copiosum est sanorum cibus, qui non solum vires conservat, sed etiam auget. Medium ad sanos etiam spectat. Nam vires quidem conservat, non tamen auget. Tenue id est, quod vires quidem comminuit; eatenus tamen, ut non exolvantur. Hoc ab auctoribus, in multas partes divisum est, nempe, in tenue simpliciter, in tenue exquisite, in tenuissimum citra adjectionem, & in tenuissimum in extremo. Tenue simpliciter, per pauca, aut ea, quæ parum nutriunt, edulia fit, cujusmodi est ptisanæ succus, mulsa, & sorbitio ex alica. Tenue exquisite, ubi ptisanæ succus exigua sumitur quantitate. Tenuissimum citra adjectionem, per mulsam aquam, sive melicratum fit solum. Tenuissimum vero in extremo, per solam inediam ad judicationem usque progreditur. Copiosum autem, vel est, ubi tota ptisana sumitur, vel copiosius, ubi pisces, ova, & jus carnium; vel copiosissimum, ubi caro; Medium autem horum est, ut panis lotus, vel placenta. Sani homines, non solum conservandi; sed augendi etiam sunt, propterea alimentum copiosum illis competit. Qui vero ægritudine longa laborant, vires augere non de-

bent, sed bene conservare: aliter usque ad finem non sufficerent, propterea hi, medio victu cibandi sunt, qui etiam sanis convenit, in quibus vires augere non cupimus, sed illas solum conservare animo est, quas etiam, in longo morbo totis viribus servare studemus. Cum vero ægritudo brevi terminatura est, si quarto die finire debeat, aliquid dare non est opus, juxta illud Hippoc. sect. 1. aphor. 6. Extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt. Imo si vires sufficerent, & in septimo terminatura esset, nihil penitus dandum esset, nisi post illum terminum. Hac de re plura, & cognitu non indigna reperies apud Hippocratem sect. 1. aphor. 4. 5. & 6. & ibidem apud Galenum, & Philotheum in comment.

CAP. LVI.

DE ADMINISTRATIONE DIAETAE.

Quale, quid, & quando, quantum, quoties, ubi, recta
Debent hæc medico in victus ratione notari,
Ne male, conveniens, ingrediatur iter.

Sex circumstantias, medico, in præscribenda vi-

ctus ratione considerandas esse, hoc in loco traditur. Prima, *quale*, hoc est, cujus qualitatis cibus exhibendus sit: quia in calida ægritudine: cibus frigidus, in frigida; calidus, in humida, siccus, in sicca vero humidus convenit. (1) Corpus tamen, quod secundum naturam est, similem semper victum postulat: quemadmodum, quod præter naturam est, contrarium. Siquidem, quod naturaliter se habet, custodire; quod præter naturam est, tollere oportet. Sed de hoc plura Galenus, cum alibi sæpe, tum maxime, in arte medicinali cap. 86. & lib. 1. cap. 10. de Sanitate tuend. & lib. 8. cap. 9. method. medend. Secunda, *quid*, id est, cujus substantiæ: Athletis enim, ac rusticis, iisque; qui quamlibet actionem, fortem, ac vehementem obeunt; cibus ex-

---

¶ (1) *Sub calida ægritudine comprehendi videntur omnes morbi acuti, tum inflammatorii, tum corruptorii, in quibus alimenta non conveniunt, vel tantum ea, quæ morbo adversantur, uti sunt fructus horæi, serum lactis, lac ipsum, limonatum &c. In frigida vero omnes morbi chronici, qui vel humidi sunt, vel sicci. Humidi, obstructiones a cacochimia phlegmatica, Zeucophlegmatia, & variæ Hydropis species, in quibus victus siccus, calido vero admixto proficere solet. Sicci vero, omnes obstructiones siccæ, a fibrarum frigiditate ortis, cachexia, Febris hectica; Phthysis, marasmus senilis, & morbosus; qui victu humido, quandoque etiam subcalido, curandi sunt.*

hibendus est crassus, ac durus: quia facultatem concoctoriam possident fortem: neque vero tenuis substantiæ cibus, velut est caro pullorum, caponum, vitulorum, agnorum, hœdorum, & similium, ipsis competit: quippe quæ, in ipsis, vel aduretur, vel, quam par est, citius conficeretur, itaut, sæpius ob id, cibari cogerentur. Non temere igitur inquit Glossa delectabilis in lege de Servis urbanis, in principio ff. de leg. 3. Rustici non debent uti pane albo, vel pullis, aut aliis delicatis cibariis; sed pane grosso, caseo, cæpis, & fabis. Porro nobilibus, atque otio deditis hominibus, tenuis substantiæ cibus magis congruit; quippe qui, virtutem concoctricem habeant debiliorem, quam ut crassos cibos, cujusmodi sunt salsæ suum, atque bovum carnes, & pisces, sole, aut vento, aut fumo indurati, superare queant. Pari modo, & in ægritudinibus acutis, tenuiore utendum est diæta, quam in chronicis, idest longis, sicuti quartanis. [2] Tertia, *quando*, idest quo po-

---

¶ [2] *Inter chronicas febres, vel etiam inter morbos chronicos, Quartanæ primum merentur locum, cum omnium longissimæ sint, & curatu nimis difficiles: Hinc eruitur, earum causam, in nimio lentore, fortasse propter Bilis inefficaciam enato, repositam esse, quæ ut discutiatur, necesse est hujusmodi lentorem, diluere, dissociare, expellere de corpore, & alium, juxta mechanicas Naturæ leges, reproducere. Hoc autem opus, per Medicamenta pharmaceutica difficile consequi potest; sed per te-*

tiſſimum diei tempore, cibus adſumi debeat: in ſanis enim, conſuetudo maxime obſervanda eſt.

---

nuem dicetam, quæ morbi cauſæ, directe opponitur, cum omnia, quæ antiquartia dicuntur, uti Cortex peruvianus, Abſynthium, Gentiana, aliaque hujuſmodi in cauſam internam tantum, ſive contra humores in viſceribus contentos; non vero contra cauſam proximam, quæ in toto corpore, omnibusque ejus humoribus, neque ſanguine excepto, repoſita eſt, operari poſſunt, quæ aliquando, hoc tantum operantur modo, omnes nempe machinas preſſorias roborando, quæ talem lentorem in motum concitare poſſunt, & foras expellere; atque in bonum ſanguinem, & bonos humores reproducere. Similiter, dum per medicamenta, hæc abſolvitur indicatio, expedit, ut alimenta tenuia in uſu ſint, ne forte deſtruatur, quod moliri volumus. Verum quandoque prudentiores Medici, ſævientibus Quartanæ ſympthomatibus, Cortice peruviano utuntur, ſaltem ad inducias impetrandas, ut æger aliquantulum reficiatur. Et re vera, ſub ipſo Cortice, per aliquot dies, febris cauſa deliteſcit, iterum reditura, quamprimum acceſſerit occaſio. Non credo, hucuſque Medicum fuiſſe, qui hiſce medicamentis, Quartanam integre curatam vidiſſe, gloriari poſſit; cum Cortex ipſe, plus in febribus putridis, bilioſis, corruptoriis, ab humorum fuſione ortis, quam in lentis, & chronicis præſtare videatur. In Viro bilioſæ temperiei, ſub ſtrictiſſima lactis diæta, gradatim Quartanam ceſſaſſe vidimus.

Unde hominibus mane ſurgentibus, & bis tantum in die cibum ſumentibus; æſtate quidem prandendum eſt hora decima, vel paulo ante, neque differendum donec propinquet meridies, ut qui maximum æſtum importare ſoleat: Cœnandum hora ſexta, vel paulo poſt. Hyeme vero, iiſdem, ob ſomni prolixitatem, prandendum eſt, hora undecima, vel duodecima. Cœnandum hora ſeptima, vel paulo poſt; ſed ita tamen, ne quid præter conſuetudinem fiat. Quinetiam in ægris cibandis, temporis habenda eſt ratio, præſertim in febricitantibus. Siquidem in ipſis paroxyſmis, vel non multo ante futuram acceſſionem, a cibis abſtinendum eſt: quod nimirum naturam, quæ circa morbi materiam tum occupata eſt, cibus oblatus diſtrahat, atque adeo humores, morbum efficientes adaugeat. Neque immediate poſt paroxyſmum cibus dandus eſt, quippe quem, facultas, a febris intemperie dejecta, nondum ſuperare queat. Quapropter, tamdiu ante ſequentis acceſſionis intium exhibendus eſt, ut priuſquam ea appropinquat, decenter in ventriculo coquatur, & ad inferiores partes deſcendat. Idque in illis potiſſimum, ita obſervandum, quibus virtus, adhuc ſatis valida exiſtit. Iis vero, quibus vires proſternuntur, dandus eſt cibus quocunque tempore, etiam in vigore. Cujus rei teſtis eſt Galenus, qui lib. 1. aphor. comment. 9. ita ſcribit. Aliquando in ipſo etiam morbi vigore, ubi Symptoma aliquod intervenerit, robur naturæ diſſolvens, nutrire cogimur. Quod idem copioſius etiam monſtrat lib. 10. cap. 3. & 5.

method. medend. Hæc omnia de paroxyſmo Stephanus Athenienſis in primum lib. Galeni ad Glauc. comment. 39. multo clarius in hunc modum exponit: Sciendum ſane eſt, naturam egere ſemper alimento, quod baſim, ac ſedem illius, quod digeſtum eſt, ipſi repleat. Sed hoc ipſum alimentum præcipue dandum eſt, quando ipſum concoquere, ac conficere poteſt. Concoquit autem, quando pura, ac integra eſt, nec a febris caliditate vexatur. Quare in intervallo dandum id eſt. Si enim in acceſſione demus, facultas, quæ a febris intemperie dejecta eſt, ipſum ſuperare non poteſt. Alimentum autem, non concoctum, materia fit febris. Et hoc eſt, quod Hippocrates ſect. 1. aphor. 11. ait. In acceſionibus ſubtrahere oportet: nam addere, nocuum eſt. Dandum igitur eſt alimentum in intervallis. Sed hæc dici poſſunt in intermittentibus. In continuis vero quid utique quis faceret? neque enim in his invenire licet remiſſum, ac quietum tempus, quoniam febris continenter affligit. Tamen in his etiam cernitur, μειοπυρεξία ideſt febris diminutio, (3) quæ intervallum imitatur: tuncque ali-

¶ [3] *In Febribus continuis raro, aut numquam tempus ſupereſt, in quo nutriri poſſit æger abſque noxa; quod neque in periodicis faciendum eſt, in principio præſertim, quando cauſa interna non adhuc educta eſt, & febris non intermiſerit. Hoc ſaltem verificatur in noſtra Regione, plus, minuſve in omnibus temperamentis, & omni vitæ genere.*

mentum dandum eſt, non quando exacerbantur. Hæc illæ. Plura, & ad præſentem ſpeculationem maxime facientia habentur apud Brudum Luſit. lib. 2. cap. 9. de victu febricitantium. Quarta, *quantum*, ideſt quantitas ſumendi cibi. Quæ profecto in æſtate, ut ſupra cap. 19. diximus, minuenda eſt: quod tum, ob immodicas reſolutiones, calor innatus debilior exiſtat: Hyeme vero augenda, propterea quod, concoctoria facultas, id temporis, ob frigus ambiens, roboretur. Quinta, *quoties*, in die videlicet cibus exhibendus ſit. Eſt enim æſtate, quam hyeme, autunno, aut vere, ſæpius exhibendus, ſed minori quantitate. Pari modo, facultate concoctoria debili exiſtente, ſæpe; ſed parva quantitate dandus eſt. Eidem vero robuſta exiſtente, dandus eſt, quidem quantitate magna; ſed rarius. Sexta, *ubi*, id eſt, quo in loco: cibus enim per æſtatem quidem, locis, ſive arte, ſive Natura frigidis; per hyemem vero temperatis, ſumendus eſt.

CAP. LVII.
De Caule.

JUs cauli ſolvit; cujus ſubſtantia ſtringit,
Utraque quando datur, venter laxare paratur.

Hic agitur de caulibus: per quos, nihil jam

aliud intelligendum, quam vulgare illud olus, quod *Blaucoolem* appellamus, Gal. *des Choux*, Hisp. *Verca*, κράμβη Græcis, Latinis vero brassica dicta: atque hoc, vel ex Martiale discere licet, qui xeniorum libro, eos caules per nitratam aquam, virides conservari ait:

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata, viridis, brassica fiat aqua.

Recensentur autem hoc loco tres ipsorum facultates: Quarum prima quidem est, decoctum eorum, & maxime primæ ebullitionis, ventris solvendi vim obtinere: In foliis namque, & exterioribus partibus, nitrosa quædam, & abstersoria inest qualitas, quam sane, cum debiliter admodum inhæreat, modica elixatio, in aquam facile deponit, eique, potentiam adjicit purgatoriam. Atque hinc adeo fit, ut jus primæ decoctionis, alvum excellentius, quam secundæ dejiciat. Nitrosa [1] enim illa, & abstersoria qua-

¶ [1] *Omnes herbæ, Omnesque Plantæ duplicem salem præbent: Unus dicitur essentialis, & ab expresso succo in loco frigido asservato assurgit, & ad vasis latera accrescit, in quo succus continetur, eosdem exprimit characteres, & sapores, ac plantæ, & herbæ ipsæ. Alter fixus alcalinus, qui a lixivio, quod a cineribus resultat, elicitur; & nil amplius continet, quod sit ipsis herbis analogum; Cum omnes sales, hoc modo eliciti, ejusdem sint naturæ, eo magis quando Plantæ aper-*

litas,

litas, exquisite per primam segregatur, atque in aquam deponitur. Secunda est, corpus ipsum, sive substantiam, communi siccantium ratione

---

to, & crebriori igne, in cinerem abeunt, quia spiritus, quem, rectorem Chemici appellant, totus evolat, & omnes proprietates simul evanescunt, unde inertissima terra superest, quæ salem dat semper unius naturæ, alkalinum nempe vocatum, qui ab acido adfuso, spumam, & fermentationem excitat. Verum quoties plantæ, vel herbæ suffocato igne comburuntur, in cineribus aliquam partem spiritus rectoris *relinquunt, qui salem dat peculiarem, characteres adhuc continentem illius Plantæ, a qua tractus fuit. Nequit ergo a Brassicis nitrum elici, quod, cum sit acidum, atque satis austerum, nil commune habet cum sale alkalino, qui a dictis herbis per incinerationem resultat; atque multo minus cum essentiali convenire videtur. Neque revera in illis, nitrum contineri potest, quod si adesset, Brassicas omnino a corruptione servaret, & in acidum potius, quam in alkali abirent. Jam omnibus constat, quod crambes facile putrescit, ideo in jusculis carnium decocta, acidum temperat, atque ventrem relaxat, & solvit. His ergo positis, nequit verificari, crambem, in aqua decoctam, ventrem sistere, dum ejus decoctiones solvunt, quia ab ipsa vim solutivam extraxerunt, & dum ipsa per ebullitionem etiam repetitam in mucillaginem conversa est, potentius ventrem solvit, ac ejus decoctum.*

ventrem sistere magis: quam ad dejiciendum incitare; quia purgatoria potentia, per decoctionem aufertur, & relinquitur substantia terrea sicca, quæ sumpta, ventrem adstringit, idque multo magis, si non bis dumtaxat, sed ter, aut quater aquam effuderis. Nam quanto exquisitius in aquam succum suum deposuerit, tanto, & illi quidem majorem purgandi vim adjiciet, & reliquam sui substantiam, quæ velut oleris ipsius caro est, restringentem efficit. Eadem est ratio in beta, atque adeo in omnibus ferme, in quibus sapor, aut acris, aut nitrosus, aut salsus inest. Quippe, & lenticula ipsa, tametsi satis magnam adstringendi potentiam gustu refert; tamen ejusmodi quid sortita est. Nam, & hujus decoctum, ventris solvendi vim obtinet. Verum hic succus etiam, si degustes, perspicuam misturam repræsentat, tanquam si nitroso, austerum quid commisceas. Sed, & conchularum maris, cæterorumque fere ostreorum succus, plane, tum salsus est, tum ventrem solvendi, [2] vim obtinet: quamvis eorum caro

---

¶ [2] *Solvitur venter, dummodo revera solvatur, ab aqua marina (cujus solutiva vis, satis nota est), quæ in omnibus conchis continetur, & quidem magna copia; Ipsæ vero, quia duriuscula substantia constant, difficile corrumpuntur, licet serius, quam reliqui Pisces, digerantur; unde sequitur, neque Ventrem solvere posse, neque pariter sistere. Sed eorum testæ exsiccatæ, & in subtilissimum pulverem contritæ, fluxum ventris cohi-*

ventrem reprimat. Tertia eſt, utrumque, nempe decoctum, atque ſubſtantiam, ſimul ventris ſubductionem efficere: cum enim vires ſuas, ita retineant, abſtergere etiam, & inteſtina ad expulſionem irritare, conſentaneum eſt. Lege hac de re plura apud Galenum lib. 3. de ſimpl. med. facult. cap. 14. & lib. 1. cap. 3. & 25. & lib. 2. cap. 44. de aliment. facult. proditum quoque eſt, Braſſicam naturali quadam facultate, vino adverſari, & curare temulentiam: Unde quærit Ariſtoteles 3. Sec. probl. 17. Quid eſt cur braſſica ſedet crapulam? Nonnulli reſpondent, hoc evenire ſolitum, quod ex eſu ejus, fumi eleventur admodum craſſi, (3) qui, cum vini vapores incraſſent, ad cerebrum aſcendere etiam prohibent. Ariſtoteles tamen, aliam aſſignat cauſam; nempe quod, quicquid humores vinoſos undique, & omni ex corporis parte, ad ſe in alvum trahit, (4) & corpus refrigerat, tollat crapulam.

---

bere poſſunt, ob virtutem abſorbentem, quam cum omnibus teſtaceis comunem habent.

¶ [3] *Repugnat, quia, ſi fumi, qui a Braſſica producuntur, craſſi ſunt, non poſſunt elevari; neque actenus in Braſſica ſpiritus volatiles detecti fuerunt, etſi in ea, alkali tantum emineat, unde ex ſe in putridum abit.*

¶ (4) *Vini ſpiritus, qui tantum inebriare valet, cerebrum petit, ex quo per medicamenta purgantia, etiam validiora, nequit revocari. Neque Braſſica, ita fortiter purgat, ut vini vapores ad*

Brassica autem est hujusmodi. Ergo brassica curat crapulam, Minor probatur, quia per succum ejus, humores, qui vinosi, crudique tenentur, e toto corpore detrahuntur. Ipsa vero, substantia frigida, styptica, ac terrea, (5) supra in ventriculo remanens, corpus refrigerat, quo fit, ut tenues humores ad vesicam labantur. Cum igitur humor utrinque educatur, corpusque refrigeretur, recte per consequens a crapula liberatur. Evenit ad hæc, ut cum, humores deorsum se trahunt, atque excernunt, flatum etiam secum deducant: qui, si per vinum liceat, in caput se efferens gravitatem creat, & crapulam: sin autem, deorsum se vertit, corpusque ob causam prædictam refrigeratum est, dolor crapulæ omnis tollitur.

---

viscera attrahere possit, cum vix tantum stipticitatem auferat, nam etiamsi corrumpatur, & ventrem enormiter solvat, hunc mirabilem effectum numquam parit. Per medicamenta purgantia humores superflui, qui in variis corporis partibus stagnant, ut in capite quandoque, & vertiginem, insaniam, & alia similia pathemata faciunt, ad viscera adfluunt, & per inferiora egeruntur, cum morbi levamine.

¶ [5] *In hoc casu ob majorem gravitatem, relate ad humores deorsum descenderet, & ventriculi fundum peteret, dummodo ventriculus, tanquam vas iners se haberet; sed quia satis valida vi motrice præstat, omnia miscet alimenta, & in unum confundit.*


Quin, & ipſa braſſicæ folia, quemadmodum lib. 2. de compoſ. medic. local. cap. 1. Galenus atteſtatur, calida macerata, capitique circumpoſita, ac obligata; naturaliter ebrietati reſiſtunt. (6) Porro braſſica, quæ edendo eſt, calefacit [7], & ſiccat primo abſceſſu. Pravum; & melancholicum ſuccum procreat. Aeſtiva tamen pejor eſt, quam hyberna. Oculorum aciem hebetat, unde Græcis etiam *κράμβη* dicta cenſetur, quaſi *κόραμβλη*, quod pupillas oculorum quas illi *κόρας* vocant, obtundat, hebetetque. Somnum per contraria inſomnia, interturbat; Stomachum male habet, parumque nutrit: at ſi cum pingui carne coquatur, plurimum noxæ, atque vitii amittit. Urinam, ac menſes ciet, & lumbricos interficit. Succus ejus, cum melle ſumptus magnifice defectiones vocis juvat: & ſi vulneribus im-

---

¶ (6) *Nunc vero vini vapores ad ſe trahit; ad viſcera nempe ab omnibus corporis partibus; nunc capiti circumpoſita, eoſdem vapores repellit; vel alia eſt cauſa, quæ ebrietatem tollit, vel quod probabile eſt, hac facultate caret.*

¶ (7) *Omnia quæ in putridum abeunt, calorem potius, & ſitim inducunt, quam frigus. Braſſicæ ergo frigidæ non ſunt, uti paulo ante aſſeritur. Vid. Tom. 6. Prælect. Boerhaav. Academ. pag. 194. §. 912. in adnotat. (alkalinæ)* Quo magis humores noſtri vergunt in oleum volatile rancidum, & ſalem alkalinum, eo ardentiores febres fieri neceſſe eſt.

ponatur ; ea glutinat, dolosa, malignaque ulcera, & induratas inflammationes sanat. Plura Dioscorides lib. 2. cap. 108. Plinius lib. 20. cap. 9. Galenus locis supra citatis. Simeon Sethi in Syntagmate; Rhazes lib. 3. cap. 18. ad Almans. & Avicenna 2. Canon. cap. 142.



CAP. LVIII.

De Malva.

Dixerunt malvam veteres, quod molliat alvum.
Hujus radices, rasæ, solvunt tibi fæces.
Vulvam moverunt, & fluxum sæpe dederunt.

Hic agitur de facultatibus malvæ: Et primo quidem versu, qui ex lib. 2. cap. 36. Aemilii Macri, huc adscitus est, veteribus Latinis, Malvam ab emollienda alvo, sic dictam esse, traditur. Cujus sane rei, testis etiam M. Varro, qui malvam quasi molvam, quod alvum molliat, dictam esse contendit: quippe quæ clysteribus infusa, vel in cibo accepta, ventrem facile moveat. Quinetiam Græcis μαλάχη, ab emollienda alvo, nomen traxit: Siquidem ipsis μαλάττειν mollire significat. Antiqui enim ea, in

acetariis cum lactuca, ad subducendam alvum utebantur. Unde Martialis libro 10. Epigrammaton.

Exoneraturas ventrem, mihi villica malvas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.

Et alibi:

Utere lactucis, & mollibus utere malvis.

Cæterum hoc olus, facile subducitur, non modo propter humiditatem; verumetiam; propter genuinam viscositatem, & potissimum, quando quis, cum oleo, & garo, copiosam ipsam sumpserit. Atque ob id, inter quatuor etiam emollientia, quorum decocto, in clysteribus, ad induratarum fæcum eductionem passim utimur, primum locum sibi vendicavit. Porro duplex malva est: Una quidem floribus sanguineis; altera vero candidis, & in hac, quam illa major emolliendi vis inest.

SECUNDO deinde versu innuitur, radices malvæ, rasas, fæcibus educendis, esse accommodas: & maxime quidem si inde, perinde atque e radicibus mercurialis, βάλανοι, idest, glandes; sive suppositoria fiant.

TERTIO demum versu, Malvam menses ciere (1) dicitur, quod, & ipsum sane, ob manife-

¶ [1] *Inter centum Mulieres; quibus menses defecerint, vix unam reperies, quæ a lenta cacochimia, hunc defectum non recognoscat. Quapropter omnia calybeata, discutientia, & deobstruentia, conveniunt, frictiones, exercitium, stomatica,*

ſtam humectandi facultatem, ac genuinum lentorem præſtat. In ſeſſione namque, uterum emollit, itaut, venæ ejus, ab acri ſanguine, promptius fundantur. Quinetiam menſes provocare, certo ſe experimento didiciſſe, Platearius adſerit. Folia malvæ trita, cum foliis ſalicis, omnibus emplaſtris commodiora ſunt. Nam, & inflammari non ſinunt, & ſanguinem ſiſtunt, & recens vulnus cicatrice includunt. (2) Sed, & luxatis, ac contuſis medentur. Phalangiorum quoque, & reptilium plagas, curant folia ejuſdem, ſi cæpas, &

---

carminativa, & alia ſimilia, quæ remiſſum, vaſorum momentum concitare poſſunt, cujus ope, circulatio promptior fit, & ſequeſtrationes omnes, faciliores ſequuntur, ſub ipſo intenſiori momento, omnes humores melius parantur, & lentores evaneſcunt, unde periodica excretio redit iterum. Neque repugnat, hanc aliquando, licet raro, a nimia vaſorum rigiditate, a defectu partis fluidioris, ab humorum acrimonia, aliiſque ſimilibus, defeciſſe: & tunc decoctiones Malvæ, herbarum emollientium, ſerum lactis, & omnia humectantia convenire videntur.

¶ [2] *Nemo adhuc in ea, virtutem vulnerariam recognovit, neque ſtipticam, quæ eſſent prorſus contrariæ antedictis. Tumoribus acerrimè dolentibus, vix calentes admotæ, cruciatus ſedant, fibras tenſas emolliunt, relaxant, & ſuppurationem facilitant, quod per earum decoctiones etiam aſſequi poteſt.*

porrum triveris; eisque miscueris, ac imposueris. Si quis vero, sylvestris malvæ succo, cum oleo illinatur, a vespis, & apibus non pungetur: sed, & qui punctus jam est, succo opem sentit, & folia malvæ contusa, & imposita, similiter percussum ab illis sanant. Similiter autem curat malva illita, lichenas, (3) & occulta fœminarum vitia: Succus vero ejus auribus instillatus, dolorem aurium sedat. Cum melle acceptus, thoracem, pulmonemque juvat, & raucam vocem lenit, hepaticos sanat, & comitiali morbo apprehensos resipiscere facit. Eodem modo. & nephriticis, & ischiaticis auxiliatur. At vero decoctum ipsius potatum, difficultatem emittendi urinam emendat, lapides [4] conterit, somnum

---

¶ [3] *Impitigines nempe, & scorbutum muriaticum, per malvarum decoctiones, per plurimos dies, ore sumptas, curantur facillime, vel saltem minuuntur. Vid. Tom. I. Prælect. academ. Boerhaav. pag.* 196. §. 914. *adnot.* [*sitis*] . . . . Juvant acida leniter saponacea, blanda &c.

¶ (4) *Tantummodo juvat in urinæ ardore, & difficultate a Gonorrhœa producto, aliaque simili acrimonia; In Iscuria vero, & Vesicæ Paralysi, majorem debilitatem infert; neque lapides, & calculos conterit, quod validioribus lithonthrypticis fortasse, datum est. Verum quia partes tensas relaxat, renes, ureteres, uretram, & urinam affluentius promovet, calculos, his in locis detentos, tantummodo foras pellit.*

conciliat, facilemque partum præſtat. Prodeſt etiam eroſionibus veſicæ, & inteſtinorum, vulvæ, ſediſque, clyſtere infuſum. Malva illita, inflammationes lenit, eaque, quæ indurata ſunt, emollit. Plura Dioſcorides lib. 2. capite 106. Plinius libro 20. cap. 21. Galenus libro 7. de ſimpl. medic. facult. cap. 95. & lib. 1. de alim. facult. cap. 42. Conſtantinus Cæſar libro 21. de agricultura cap. 11. & Simeon Sethi in Syntagmate.



C A P. LIX.

De Mentha.

MEntitur mentha, ſi ſit depellere lenta.
Ventris lumbricos, ſtomachi, vermeſque nocivos.

Mentham, eo nomine non eſſe dignandam, niſi alvi etiam lumbricos, & ſtomachi vermes enecandi, atque expellendi facultatem obtineat, hoc loco adſeritur. Amarum enim quiddam in ſe habet, & acerbum, & amaro quidem, non ſecus, atque abſinthium; lumbricos interficit: acerbitate vero, ſi cum oxycrato bibatur, recentes ſanguinis rejectiones reprimit. Exhibendum autem decoctum ejus, velut abſinthii quoque, &

non substantia. Est enim, ut si quæ alia herba, tenuium partium, gustu acri, & facultate calida, ex tertio nimirum ordine excalefacientium, & secundo siccantium. Quare medicamento potius, quam alimento ipsa utimur. Hepar enim frigidum, & ventriculum, juvat, corroborat & stomachum, & concoctionem facit, sedat quoque singultum, & vomitum phlegmaticum, [1] atque sanguineum. Prodest quoque; ad cordis morsus, & appetitionem suscitat. Mediocriter item ad Venerem excitat, id quod omnibus accidit, quæ humiditatem semicoctam, & flatuosam continent. Aperitque jecinoris, ac splenis obstructiones. Verum hac vesci ad satietatem non oportet, quoniam sanguinem extenuat, & serosum facit, & ipsum in flavam bilem permutat. dein efficit,

---

¶ (1) *Qui acido, vel glutinoso spontaneo laborant, varias stomaci ægritudines patiuntur, languores nempe, cardialgiam, nauseam, vomitum, aliaque. Ita enim talis acrimonia crescit, ut talia adferat pathemata, per vomitum tantummodo sedanda, ab ipsa Natura excitatum, fortiter lacessita. Hæc eadem acrimonia, ab alia prorsus opposita corrigitur, ab alkalina scilicet, quæ in Mentha satis prævalet, & vermes necat, digestioni succurrit, adpetentiam excitat, quam gluten nervos pervadens, destruxit. Ejus vero abusus, præsertim biliosis, & calidis siccis, acrimoniam alkalinam parit, & sanguinis, atque bilis crasim destruit, ac mutat.*

ut sanguis, qui maxime, est tenuium partium; discutiatur, & crassus, ac melancholicus relinquatur: atque idcirco oportet, biliosos ab ea abstinere. Contrita cum sale, & morsui rabiosi canis imposita, medicamentum fit salubre. Arida vero, trita, & post cibum sumpta, ad concoctionem facit, & lienosos [2] juvat. Cum vino pota, difficulter parienti succurrit. Ferunt etiam, quod mansa, lippienti imposita, fiat remedium: quodque ejus decoctum absorptum, confestim sanguinem e faucibus ejicientes sanet. Coire lac, densarique in caseum, non patitur, si folia potionibus lactis immergantur. (3) In summa, stomacho utilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet: Hujus semen, ventrem purgat, & pulmonem lædit. Plura Dioscorides lib. 3. cap. 34. Plinius lib. 20. cap. 14. Galenus lib. 6. de simpl. medic. facult. cap. 136. Simeon Sethi in Syntag. & Avicenna 2. Canon. cap. 459.

¶ (2) *Eadem, lenta, & acida acrimonia, varias obstructiones producit, in Liene præsertim, quia ejus humor, omni Bilis sapore caret, & ad Bilem diluendam, atque nimiam asperitatem temperandam inservit.*

¶ (3) *Lac ab omnibus acidis, plus, minusque, densatur. Ab alkali vero nullo modo cogi potest; imo fluidius, quam antea persistit. Hinc si succus Menthæ, vel quodvis alkool, uti sapo venetus ei misceatur, nunquuam in coagulum abiret, & omnium acidorum efficaciam deludet.*

CAP. LX.

De Salvia.

Cur moriatur homo, cui salvia crescit in horto:
Contra vim mortis, non est medicamen in hortis.
Salvia confortat nervos, manuumque tremorem
Tollit, & ejus ope, febris acuta fugit.
Salvia, castoriumque, lavendula, primula veris.
Nasturtium, Athanas, hæc sanat paralytica membra.
Salvia salvatrix, naturæ conciliatrix.

Permagnam esse utilitatem Salviæ, hoc loco traditur: Ac primo quidem versu, per modum dubii quæritur, qui fiat, ut homo moriatur, cui salvia crescit in horto? ad quod ita respondetur secundo versu. Quamquam medicina in hortis reperiatur, quæ corporis putrefactioni resistat, humiditatemque custodiat naturalem, ne citius quam par est dissipetur; nulla tamen invenitur, quæ moriendi necessitatem e medio tollat. Et hoc est, quod Avicenna 3. 1. cap. singulari ait: Ars

quidem ſanitatis tuendæ, nos a morte ſecuros non facit, neque corpus, a foris incidentibus nocumentis munit, neque unumquodque corpus ad ultimam vitæ longitudinem, quæ eſt ſecundum hominem, abſolute, perducit. Sed de duabus rebus ſecuritatem præbet: Putrefactionem enim penitus excludit, & humiditatem defendit naturalem, ne juſto citius reſolvatur.

SECUNDO loco tres referuntur ſalviæ effectus: ac primo quidem, quod nervos (1) roboret: Siquidem manifeſte calefacit, & leniter adſtringit: humorum igitur copiam, qua nervi impediti relaxabantur, exſiccat, (2) refrigeratoſque recalefacit. Deinde, quod manuum tremorem tollat: Nam quicquid nervos roborat, ac calefacit, tremorem etiam tollit. Tremor enim, ex nervorum imbecillitate, & frigiditate potiſſimum accidit. Atque hanc ſane ob cauſam, ſenes nonnulli, & anus decrepitæ, cibis, ac potibus ſuis, folia ſalviæ imponere ſolent. Tertio, quod acu-

---

¶ [1] *Vid. quæ in cap. 20. num. 1. de ſalvia dicta ſunt.*

¶ (2) *Roboratis nervis, omnium vaſorum momentum augetur, unde humores adtenuantur, celerius circumaguntur, & facilius per propria emiſſaria expelluntur, qui expellendi ſunt, & adfluentius per cutim: quapropter Cacochimiæ ſeroſæ nulla datur occaſio. Stomacus quoque ſuo muneri ſupplet ex integro, ne forte indigeſtio ſequatur.*

tam removeat febrem: [3] cujus hanc adſignaveris cauſam, nempe quod humores exſiccet, adeoque putrefactionem, quam acuta febris, magna ex parte comitatur, impediat. Porro ſalvia, temperamento eſt evidenter excalefaciente, & exſiccante, atque eam ob rem, per ſe, in victus ſalubris ratione non temere uſurpanda. Attamen cum nervos excellenter roboret, dupliciter ea homines in ſanitatis tutela, uti conſueverunt. Aut enim inde parant ἐβαμματα id eſt, intinctus, quemadmodum oſtendimus ſupra cap. 22. adpetentiam ita revocantes ei, cui ventriculus crudis, inconcoctis, ac pravis humoribus refertus fuerit. Aut vinum, ex ea etiam conficiunt. Salviatum ipſis appellatum, quod in menſæ principio potiſſimum expetitur. Hoc, cum ſibi qualitatem quamdam, a ſalvia, calidam ſimul, ac adſtringentem, aromaticamque, & exſiccantem adſciſcat, tremulis, paralyticis, & epilepticis mire conferre putandum eſt: præſertim ſi poſt

---

¶ [3] *Putridam nempe, quando humores fuſionem minantur, & ſolidæ partes reſolvuntur. Abſynthium, Centaureum, Cametrium, & alia amaricantia, apud Antiquos præſto erant in hujuſmodi febribus, quibus, hac noſtra tempeſtate, Cortex peruvianus, multo præſtantior eſt. In febribus inflammatoriis, reumaticis, aliiſque, omnia roborantia vitanda ſunt, quia majorem fibris ſolidis rigiditatem conciliant, & humores tenaciores efficiunt.*

purgationem, epoto medicamento modice sumatur. Quin, & ventriculum, cerebrum, nervos, ac reliquas quoque corporis partes præ humiditate laxas, exsiccat, ac roborat, idque per hyemem maxime. Valet contra renum, vesicæ, & laterum dolores, (4) rejectiones sanguinis, tussim, rupta, & vulsa. Difficili urinæ auxiliatur, & suppressos menses proritat, sed immoderatius, quocirca gravidis non nisi cum timore exhibendum est, quippe quod partus facile enecet, & abortus faciat. Vaporosum est admodum, facileque caput ferit, & cito inebriat: quare caput debile habentibus, quibusque plurimum molestiæ catarrhus exhibet, ab ipso, in roborando ventriculo cavendum est: ne, dum uni parti auxilium quærunt, reliquas offendant. Imo vero, nec alias immoderatius eo utendum est, neque ad depellendam sitim, neque ad deferendum, permiscendumve cibum: quippe quod, universum ita cibum, ad extremam promptissime caliditatem, ac siccitatem perduceret. Primum enim, per se calidum, & siccum est vinum, deinde vero, & salvia sat strenue excalefacit, desiccatque, & tenuium est partium: quare, quod inde fit vinum, ad immodicam, haud dubie, caliditatem, ac siccitatem inclinabit, atque ob id,

---

¶ (4) *A calculis, arenulis, sanguinis acrimonia, per medicamenta tonica, & amaricantia, non solum curari non possunt, sed etiam intensiones sæviunt.*

sani-

sanitatis tutelæ minus conveniet: ut quod ingestum cibum, permutare, atque ante perfectam ejus concoctionem e ventriculo, ac hepate, ad cerebrum facile, & nervos deferre, obstructionemque, omnis putredinis matrem, in humano corpore excitare valeat.(5) Plura de hoc Magninus cap. 21. part. 3. regiminis sanitatis, & Joann. Michael Savonarola, in majori pract. tract. 2. cap. 4. rubric. 15. Duplex porro salvia, passim in hortis spectatur: Una magnis, latis, & asperis foliis, quæ Germanis *groote oft breede Savie* dicitur: Altera vero foliis minoribus, contractioribus, & levioribus, quam iidem *Cleyn ofe edel Savie* vocant. Græci, quod ipsa herba retorrida semper, & exsicca appareat, communi utramque appellatione nuncuparunt ελέλισφαγον, quod quasi in tabem, vel siderationem redacta videatur.

TERTIO loco sex enumerantur medicamenta

¶ (5) *Experientiæ, & rationi repugnat. Nam Vinum salviatum, in viscerum obstructionibus, in lenta cacochimia, atque etiam in aliis fere morbis, ab ea enatis, optimum est medicamentum, quia omnibus machinis pressoriis majorem vim conciliat, unde humores perfectiores generantur, atque ante omnia, digestionem facilitat, non vero alimenta adhuc indigesta ad cerebrum, & ad nervos convehit, quod esset bonæ digestioni prorsus contrarium. Potius capitis gravedinem, Cephalæam, aliaque pathemata, ab obstructione capitis illatas, mirabiliter levat.*

ſimplicia παράλυσοι curandæ accommodatiſſima nempe ſalvia, Caſtorium, Lavendula, Primula veris, Naſturtium, & Athanaſia. Hæc namque omnia, proprietate quadam, membra paralytica curant, ac ſanant. De Salvia quidem ex modo dictis, ſatis conſtat, quippe quæ, genuina caliditate, & ſiccitate ſua, pituitoſum humorem, quo nervi obſtructi reſolvebantur, facile conſumat, adeoque nervis ipſis robur addat: Caſtorium, calefacit, ſiccatque cum extenuandi viribus eximiis, quibus præter alias actiones, etiam nervorum, qui ex copia humorum male habent, affectibus, nempe tremori, ſtupori, convulſioni, & paralyſi, (6) congruit, & refrigeratos facile recaleſacit, & extrinſecus applicatum, & potui datum, idque ita, ut nullam aliam offendat particulam, etiam ſi mediocriter febris affligat, quemadmodum in veternis, & cataphoris, ſed & menſibus retentis proſit, & ſecundas expellit. Juvat etiam, ſi quis ſuffitum ejus, in prunis impoſiti, inſpiratione hauriat, maxime affectus, in pulmone, ut capite conſiſtentes. Frigidæ quoque ſurditati & auribus, ob craſſos, flatulentoſque ſpiritus [illegible]entibus, præclare opitulatur, ad lentis magnitudi[illegible]m cum

---

¶ (6) *Inter medicamenta cephalica magni quidem momenti, efficax ſatis ad promovendum ſpirituum adſluxum ad partes torpidas, & ad nervorum robur excitandum. In ſenibus vero, ob fibrarum occalleſcentiam, & ariditatem, nonniſi parce nimis eſt exhibendum*

oleo nardino infusum. Oleum (7) præterea castorei non minus contra frigidos nervorum, & juncturarum affectus omnes valet, quam castoreum ipsum: præsertim si post materiæ evacuationem applicetur: residuum enim consumit, nervos roborat, paralysi, convulsioni, ac tetano medetur, & acerrimos rigores, & frigora febrium, si spina dorsi eo liniatur, sedat. Porro Castoreum, testiculus est animalis ancipitis vitæ, quod κάστωρ a Græcis, a Latinis Fiber, a Germanis vero *een Beven*, Gallis, *une Bievere* appellatur. De quo Dioscorides lib. 3. cap. 21. Plinius lib. 8. cap. 30. & lib. 32. cap. 3. Galenus lib. 11. cap. 11. de simpl. medic. facult. Aetius lib. 2. cap. 177. Paulus lib. 7. & Avicenna 2. Can. cap. 125. Lavendula excalefacit, & exsiccat ordine secundo completo, vel tertio inchoante, viribus a nardo Celtica, non longe recedentibus. Confert omnibus cerebri ægritudinibus, a frigido provenientibus, convulsis, resolutisque auxiliatur: ventriculum roborat, & jecur ab infarctu liberat: quin, & obstructos lienes juvat: uterum calefacit, & menses, & secundas educit. Primula veris, calida est, & sicca, nervos

¶ (7) *A solo Castoreo elicitum, non vero ab oleo comuni paratum per longam infusionem dicti Castorei, in surditate ab humida fluxione, membranam Timbani, ejusque cordam debilitante, meatui auditorio admotum, tamquam incantamentum operari solet.*


roborat, convulſioni, tremori, apoplexiæ, paralyſi, cæteriſque nervorum, atque articulorum vitiis frigidis, & humidis auxiliatur: atque inde arthritica etiam a nonnullis, & herba paralyſis appellatur. Primula veris autem dicitur, quod ſcilicet, vero inchoante mox erumpat, Germanice *Sluetelbloemen* Gallice *Bovillon*. Hiſpanice *Gordolobo*. Per naſturtium (8) Siſymbrium aquaticum hic intelligitur, quod riguis gaudet, & in fontium rivulis diſcurrentibus, comite Sio naſcitur, foliis primo exortu rotundis; cum vero adoleverint, erucæ modo diſſectis: odore, ac ſapore, ſativo naſturtio proximis, atque ob id χαρδαμίνη a nonnullis, ideſt, naſturtium nominatur, Germanice *Kerſſe*. Gallice *Creſſon alenois*. Hiſpanice *Maſtuerco*. Ea herba cum ſicca eſt, tertii eſt ordinis excalefacientium, & deſiccantium: cum humida, & viridis, ſecundi: craſſos,

---

¶ [8] *Fortaſſe nervis inimicum; nam ejus abuſus, diſcraſiam alkalinam parit, quæ ſtatim ac adoleverit, reſolutionem membrorum, & Paralyſim facit. In acido ſpontaneo, & pathematibus ab eo enatis, mirabiliter praeſtat, ob alkali ſatis penetrans, & auſterum, quod in eo deprehenditur. Hinc dummodo Paralyſis a colluvie lenta ſeroſa, nervos infarciente producatur, per ea quæ huic diſcraſiæ oppoſita ſunt, facile curatur. Cœterum Naſturtium, aliæque hujus naturæ herbæ, neque nervis adverſæ ſunt immediate, neque eorum debilitati ſubveniunt.*

& pituitosos humores extenuat, incidit, & resolvit: qua ratione nervos a phlegmate purgat, paralysisque caulam aufert. Atque hinc sane præcipiunt medici, ut in quadragenaria illa Ecclesiæ abstinentia, propter phlegmaticos cibos, qui per id tempus mandi solent, nasturtia quoque subinde exhibeantur. Athanasia, tanacetum etiam vocatur, & Germanice *Byvoet*. Gall. *Armoyse*: Hisp. *Artemisia*, quod filicis fere effigie in aquarum ripis nascatur, vel alio nomine *Wormcruyt*, quod lumbricos e ventre pellat, sive foris imposita, sive intro in corpus assumpta. Ea, parthenii species quædam existit, purgandique phlegmatis facultate prædita est, nervos caliditate sua exsiccat, lumbricos, & materiam, unde illi generantur, ex ventre pellit. Plurimum igitur Galli, primis, sanctum post Pascha, diebus, athanasia cum ovis frixa, ad phlegmatis per jejunium quadragenarium, ex esu piscium collecti eductionem utuntur; ne scilicet inde, lumbrici in corporibus aptis, ac præparatis generentur. Recentiores etiam utuntur ad ventriculi, & alvi flatus discutiendos: item ad frangendos renum calculos, & ad ciendam urinam. Ultimo tandem versu traditur; Salviam sic dici, quod ad multa sit salutaris, præcipue ad fœcunditatem.





CAP. LXI.

De ruta.

Nobilis est ruta, quia lumina reddit acuta.
Auxilio rutæ, vir lippe, videbis acute.
Cruda comesta recens, oculos caligine purgat.
Ruta, viris minuit Venerem, mulieribus addit.
Ruta facit castum, dat lumen, Et ingerit astum.
Cocta, & ruta facit, de pulicibus loca, tuta.

Quatuor hic recensentur facultates rutæ: Ac prima quidem, quod acutam reddat videndi aciem; [1] commanducata enim, ut testis est Dioscorides lib. 3. cap. 44. & post eum Avicenna 2. Can. cap. 578. mire opitulatur ocu-

¶ [1] *Propter virtutem, qua nervos roborat, & lentores discutit. Vide, quæ de ea dicta sunt cap. 13. num. 7. T. I.*

lis, qui hebetudinem ſenſere. Præſtat idem, & ſuccus ejus, cum ſucco fœniculi, & melle inunctus. De hoc, nonnihil quoque ſupra cap. 13. & infra cap. 79.

Secunda, quod coeundi deſiderium in viris minuat; augeat vero in mulieribus. Nam cum ex tertio ſit ordine excalefacientium, & ſiccantium, flatus ſtrenue diſcutit; aboletque, & ſic ſemen virile, quod tenue admodum, & aereum eſt, reſiccat, ac prorſus, ne eſſe quidem permittit. Ex quo ſane; Veneris adpetitum in viris cohibet: (2) ſed in mulieribus ſemen aquoſum, & frigidum, calefacit, incidit; & extenuat; quare eas ad coitum magis incitat [3].

¶ [2] *Eodem numero probatum eſt, Rutam; ſicuti omnia medicamenta tonica, nervos roborare, & lentam circulationem promovere; ſequitur ergo, ut muſculorum vires intendantur, & humorum ſequeſtrationes, quæ ambæ facultates, immediate, ad veneream tintiginem excitandam concurrunt; non vero ad ſemen exſiccandum, quod neque* tenue, *&* aereum *eſt, cum potius inter reliquos humores tarditate, & lentore præſtet. Vid. Tom. 3. part. 1. prælect. Academ. Boerhaav. pag. 155. Dictione* Delata ... Videtur naturam, hæc omnia, ita fabrefacere, ut frigus faciat, & lentiſſimum motum in ſanguine genitali, ut nil in corpore, teſte, frigidius ſit.

¶ (3) *Mulieres ſemine carent. In coitu, humorem tantum emittunt, nullius fere uſus, vel ſaltem ad voluptatem.*

Tertia, quod aſtutiam, ſive calliditatem, ideſt, apprehenſionem, & medii alicujus, in ſubtili cauſa, facilem inventionem, uſurpantibus conciliet. Calefactione enim, ac reſiccatione extenuantur, & acuuntur ſpiritus, fovetur, & illuſtratur ingenium (4).

Quarta, quod decoctum ipſius, ſi domus ea reſpergatur, pulices depellat; eos enim, ut uno ore medici teſtantur, acrimonia ſua necat, & gravi odore fugat. Pamphilus apud Conſtantinum Cæſarem lib. 13. cap. 15. de agricultura, longe plura, adverſus pulicum moleſtias, remedia enumerat. Scrobem, inquit, facito, & rhododaphnas contuſas in ipſum mittito, iſticque omnes concurrent. Abſynthium, & cucumeris ſylveſtris radix, aqua marina, rigata, ac reſperſa, pulices necat. Diſperdit autem ipſos punitus, Melanthium, aqua maceratum, ac reſperſum. Aut conyzæ coctæ decoctum irroratum. Diſperdit eoſdem ſimiliter, ſemen ſinapis, & rhododaphnes,

---

¶ [4] *Omnia quæ alkali volatili præſtant, ſpirituum productionem, motum, influxum promovent; nam humores lentos, & torpidos diſcutiunt, attenuant, qui liberis functionibus obſtant. Lenta Cacochimia laborantes, & leucophlegmatia hebetes evadunt, inertes, ſomnolenti. Novi Virum in omni fere literatura egregium, qui poſt varios errores in victus regimine: in ſeroſam diſcraſiam incidit, omni alacritate, & ingenii acumine deſtitutus.*

ambo fervefacta, & in domo resperfa. Calcem vivam cribrato, & postquam locum verreris, inspergito, indeque necabuntur. Idem continget, ex amurca, pavimentis assidue irroratis. Cyminum item sylvestre tritum, ac aqua mixtum, & seminis cucumeris sylvestris dragmæ decem tritæ, & in aquam demissæ, indeque domo resperfæ, pulices crepare faciunt. Item chamélææ radix, & populi nigræ folia tusa, & aqua macerata, & tribulus, ex aqua, cocta, pulices etiam muria acris resperfa, & aqua marina, enecant. Quod si in media domo quis, pelvim deponat; & circulum machæra, penitus, ferrea circumscribat, & reliquam domum, præterquam locum circumscriptum, cremore staphisagriæ, aut lauri foliorum tusorum conspergat, aut etiam muria, aut aqua marina cocta, omnes pulices in pelvim congregabit. Fictile quoque vas defossum, itaut labra, æqualia pavimento habeat, & adipe taurino illitum, omnes pulices in sese congregabit, etiam eos, qui adhuc in paleis delitescunt. Sub lecto, parvulum scrobem facito, & in ipsum sanguinem caprinum mittito, congregabit eo pulices & ex aliis vestibus ad se illiciet, ac vocabit. Cæterum ex amphimallis, & densissimis tapetibus, in quibus plurimi pulices delitescunt, eximi, ac evocari possint, si sic in urna, aut dolio ipse sanguis caprinus deponatur. Hactenus ille Avicenna 6. 4. Tract. 3. cap. 11. de effugatione pulicum, hoc amplius addit: Quando inquit domus colocynthidos infusione aspergitur, saliunt pulices, & fugiunt, & similiter ex decocto rut

bi. Referunt quidam, quod ſi lignum adipe erinacei oblinatur, eo pulices ſtatim omnes concurrent. Fugantur quoque ſuffitu ſulfuris. Eſt etiamnum herba quædam, vulgaris notitiæ, Arabice dicta Chichuanu, id eſt, herba pulicum, quæ in civitate Chairi, pulverizata, in lecto circa dormientes ponitur, & ex odore illius inebriantur, ſtupidique fiunt pulices, & non lædunt. Porro nihil æque diſperdit pulices, ac graveolentia, velut ruta, mentha, mentaſtrum, & lupulus, præcipue tamen fimus, & urina equi [5] Enecat & pulices ſeminis rapi decoctum inſperſum.

Quin, & taurini cornus ſuffitu, pulices fugari perhibentur. Fama eſt, inquit Dioſcorides lib. 4. cap. 60. ſi pſyllium virens, domum importetur, non ſinere in ea pulices gigni. Poſtremo vero, nihil tam accommodum eſt comprehendendis pulicibus, quam lecto impoſita recens, & candidiſſima lanugo zylina, quam Germanice *Boon vuolle oſt cottoen*. Gallice *Du coton*, Hiſpanice *Algodo* vocamus, in ea namque congre-

---

¶ (5) *Nullibi tam facile generantur hæc moleſtiſſima animalcula, quam in ſtabulis, aliiſque locis, in quibus excrementa collecta putreſcunt, aut ubicumque abitantes anguſtiſſimas domos degunt. Omnes enim ex vulgo mulierum experientia didicerunt, munditiem domorum, & Veſtium tantummodo eorum productionem impedire, vel minuere ſaltem, dum omnia antidota fruſtra adhibentur.*

gati facillime capiuntur. Plura Rhazes lib. 8. cap. 8. ad Almansorem.

CAP. LXII.

De Caepis.

De cæpis Medici, non consentire videntur.
Fellitis non esse bonas, ait ipse Galenus;
Phlegmaticis vero, multum putat esse salubreis.
Non modicum sanas, Asclepius adserit illas,
Præsertim stomacho, pulchrumque creare colorem.
Contritis cæpis, loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.

Agitur hoc in loco de Cæpis. Ac primo quidem dicitur, medicis de natura earum, nondum satis constare. Nam ipsorum quidam, phlegmaticis, ex usu esse tradunt; quidam vero minime. Galenus lib. 2. de alim. facul. cap. 71. cholericis, admodum nocere; phlegmaticis vero prodesse, iis attestatur verbis: Abstinendum ab assi-

duo usu omnium acrium, ceu cæparum, porri, & allii, & potissimum, cum is, qui ipsis vescitur, natura fuerit biliosus. [1] Solis enim, qui vel succum pituitosum, vel crudum, & crassum, ac lentum acervarint, cibi ejusmodi sunt accommodati. Siquidem cæpæ ut 2. Canone, capite 122. Avicennæ placet, in tertio calefaciunt abscessu, sed Galenus lib. 7. de simpl. medic. facul. capite 58. quartum excalefacientium ordinem ipsis adsignat. Quo fit ut calidis, quales cholerici cumprimis existunt, vehementer officiant. Rhazæ vero lib. 3. ad Almans. cap. 18. superfluos humores, & phlegma in stomacho generant. Quod de illis maxime intelligendum, quæ crudæ manduntur. Earum namque essentia, crassarum est partium, & mali succi.

¶ (1) *In Bilis excessu, vel acrimonia, sicuti omnia acida proficiunt, ita aromatica, & acria notabiliter nocent, quia Bilem ipsam acriorem reddunt Cæpæ enim, & Allia, satis acria sunt, & quoad effectum, cum aromatibus conveniunt, quæ liquores attenuant, excretiones cient. & nervis omnibus intensiorem stimulum adferunt. Hinc quo motus liquorum citatior est, & vasorum momentum crebrius, eo præstat acrimonia. Ideo pituitosis, & phlegmaticis conveniunt, uti in Testu. Audivi Virum Biliosæ temperiei integra nocte vigilasse, quoties in cœna cæpam comederet; assatam vero, vel sub prunis coctam, foeliciter substulisse.*

Porro pro fellitis, quemadmodum Cornarius noster in cap. 7. lib. 1. Macri diserte admodum monuit, biliosos hoc loco accipere oportet, id est, τὺς χολώδεις, sicut per phlegmaticos, pituitosos; deinde vero cæpas phlegmaticis multum prodesse traditur. Corpus enim calefaciunt, humoresque crassos, ac glutinosos in ipso coacervatos concoquunt, attenuant, incidunt, & detergunt. Quin eadem etiam ratione, stomacho, frigidis, crassis, ac glutinosis humoribus gravato, utiles sunt, & ad validum colorem; veluti testis est apud Plinium lib. 20. cap. 5. Asclepiades, proficiunt. Neque enim fieri potest, ut vividus, ac floridus sit faciei color, ubi ventriculus, crudo, pituitoso, ac pravo succo refertus fuerit. Tertio demum loco adseritur, contritarum cæparum succo pilos, sive crines, locis glabris, ac denudatis restitui, si eo sæpius perfricentur. & maxime quidem, si ex denlatis, infractisque meatibus, & materiæ sub cute detentæ corruptela, glabrities (2)

¶. [2] *Qui nimio calore donantur, licet capillis abundent, attamen vix ad annum trigesimum perveniunt, quam calvi fiunt, canitie vero præcedente. Ita enim uberrimme eorum caput perspirat, ut ipsas capillorum radices, evellat, ac dissipet æstuans perspiratio; nam pars nutrititia, integra evolat, & nutriendis capillis usurpatur. In cæpis enim, & alliis quædam caustica vis deprehenditur, quæ cuti admota, post paucas horas, bullam, ad instar vesicantium, excitant. Hinc non videtur capillorum productionem promovere posse, quoties cutem*

evenerit. Cæpæ enim, caliditate sua meatus aperiunt, materiamque pravam sub cute detentam, non solum digerunt, ac resolvunt; sed meliorem etiam, in locum ejus substituunt. Quapropter alopeciæ, succo earum convenientissime perfricantur. Celerius enim, ut Dioscorides lib. 2. cap. 137. Galenus loco paulo ante citato, & Alexander Trallianus lib. 1. cap. 2. testantur, quam Alcyonium, pilos evocat. Unde infertur tandem, capitis decorem, quem Q. Serenus capitis honorem vocat, eo reparari. Capitis porro decor, capilli sunt: Cepæ præterea semen genitale gignunt, & Venerem stimulant, urinam cient, adpetentiam, ante alios cibos sumptæ, excitant, sed largiore cibo, capitis dolores faciunt, sitim movent, fastidium pariunt, ruborem faciei inducunt, salivam multam generant, & rationem, ut aliqui ferunt, lædunt. Succus illarum cum melle illitus, oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis, & in incipientibus suffusionibus auxiliatur. Quinetiam canis morsibus, idem cum aceto, ruta, & melle illitus confert, quare hi quoque duo versus, a quibusdam hic additi sunt:

Appositas perhibent, morsus curare caninos,
Si tritæ cum melle prius fuerint, & aceto.

Plura de his supra cap. 13. diximus, cum de alliis ageremus.

---

ipsam, in qua capillorum radices aluntur, caustiçent, & erodunt.

CAP. LXIII.

De Sinapi.

Est modicum granum, ſiccum, calidumque Sinapi,
Dat lachrymas, purgatque caput, tollitque venenum.

Duo hoc in loco potiſſimum aguntur: Primo namque perpuſillum illud granum quod σίνηπυ aut νάπυ Græci, Latini vero ſinapi vocant, ad calefaciendum, deſiccandumque efficax eſſe traditur, (1) & hoc quidem Galeno lib. 7. cap. 5.

¶ (1) *Propter alkali ſpontaneum, quod in eo viget, duos mirabiles parit effectus: Acidum nempe deſtruit, & viſcoſitatem diſperdit. Ex eo enim vinum paratur contra Leucophlegmatiam, præſtantiſſimum remedium, ad concretos ſolvendos, humores, atque inde perſpirationem, ſudorem, urinam, aliaſque ſenſibiles evacuationes promovendas. In Quartana præſertim inveterata, & in ipſa Tertiana, pariter proficit; In capitis adfectionibus propter eamdem cacochimiam, non quia caput a pituita immediate purgare poſſit; ſed quia obſtructa vaſa aperit, & morboſæ materiæ exitum*

de ſimpl. medic. facult. teſte, in quarto gradu. Deinde vero tres eidem adſignantur facultates.

PRIMA, quod lachrymas eliciat: excellenti enim caliditate ſua, humiditates, quæ in cerebro ſunt, attenuat, incidit, liquefacit, & diſſolvit, illis itaque fluentibus, ſimul etiam lachrymæ proſiliunt.

SECUNDA, quod caput purget: commanducatum enim, pituitas capitis, per os ducit, & purgat. Quinetiam tritum, naribuſque admotum, ſternutamenta ciet, quibus meatuum obſtructiones tolluntur, & cerebri vitia expelluntur: eaque ratione comitialibus, & apoplecticis mirifice ſuccurrit.

TERTIA, quod venenum tollat; ſuffituu namque, ac incenſum, ſerpentes fugat, ad eorundem quoque, & ſcorpionum ictus, cum aceto tritum, magna utilitate illinitur, fungorumque venena diſcutit. Ad hæc, lienis etiam affectibus, ex humiditate, & flatu procreatis, confert. Item quartanis morbis, qui ex aduſta pituita contracti ſunt, præterea, & podagris, a pituita factis. Officit vero viſui, & calido capiti, ac jecori. Concoctionem, & diſtributionem ciborum craſſarum

gradatim molitur, ex quo caput quoque levatur. In acido ſpontaneo, quod a tali diſcraſia numquam ſejungitur, convenire videtur, quia digeſtioni dicatos, a ſero abundante enervatos, acuit, & vivificat.

par-

partium adjuvat. Minuit, quæ in ventriculo ſunt humiditates. Illitum lepris, eas in melius mutat. Linguas etiam, humiditate gravatas, ſiccat. Si cum melle ſumatur, tuſſes reſolvit. Cum caricis vero illitum, iſchiadicis, & lienoſis utile eſt: trahit enim, quæ intus ſunt ad corporis ſuperficiem. Plura Dioſcorides lib. 2. cap. 140. Plinius lib. 30. cap. 22. & Simeon Sethi in Syntagmate.

CAP. LXIV.
De viola Purpurea.

Crapula diſcutitur, capitis dolor, atque gravedo:
Purpuream violam, dicunt curare caducos.

Hic tres referuntur effectus nigræ, purpureæque violæ: Primus, quod crapulam, ſive ebrietatem diſpellat ac ſedet: Cujus ſane rei, duæ adferri ſolent rationes. Una quidem, quod temperatum, ſuavem, & cerebrum confortantem, ſpiret odorem: cerebrum vero roboratum, ac validum, ebrietas non tam facile, quam imbecillum, tentet. Altera, quod cerebrum refrigeret, [1] & fumis

¶ [1] *Syrupus Violarum in aqua frigida epo-*

calidis recipiendis ineptum reddat, adeoque vini vaporem infringat, & sic ebrietatem dissolvat. Secundus quod κεφαλαλγίαν, idest, capitis dolorem discutiat, & hoc quidem si a causa calida, nempe a flava bile, ortum habuerit: hanc enim purgat, & ab ea calorem extinguit. Horum effectuum meminit Plinius lib. 21. cap. 19. ubi de violæ viribus disserit his verbis: Violæ purpureæ, crapulam, & gravedines capitis, impositis coronis, olfactuve discutiunt. Meminit etiam Simeon Sethi in Syntag. Violæ, inquiens, dolores capitis, qui fiunt a flava bile, sopiunt potæ, & odoratæ. Tertius, quod curet caducos, idest, comitiali morbo correptos, a symptomate, accidenti ac casu. Hoc habetur apud Dioscoridem lib. 4. cap. 105. Ceterum is, non simpliciter hoc de purpurea viola tradit, sed de parte ea, quæ in flore, purpurea existit, vel purpurascit. Sic enim scribit: φασὶ δε τὸ πορφυρίζον, τὰς ἄνθας μεθ' ὕδατος ποθεν, συνάγχικοῖς βοηθεῖν, καὶ ἐπιληψίας, ταῖς ἐπι-

---

tus, sanguinis, nimis æstuantem motum sedat, & calorem temperat, a motu, labore insolito, insolatione, vel alia simili causa enatum: non repugnat, eadem symptomata, licet ab intentiori causa facta, tollere posse, vel saltem imminuere: Hoc verum est, & ipse vidi Juvenem a Vini potione æstuantem, cardialgia, & vertigine adfectum, frigidi limonati largiori potu, pristinæ hilaritati, & quieti restitutum, fere momento temporis.

παίδος. Id est, dicunt id, quod in flore purpureum est, cum aqua potum, anginis, & comitialibus puerorum morbis auxiliari. Videtur itaque accipiendum esse de altero flore, qui in medio violæ instar capillamentorum inest. Sunt enim quidam flores, dicit Theophrastus lib. 1. cap. 21. de historia plantarum, διανθεῖς, idest, duplicis floris, qui alterum florem in medio habent, velut rosa, & lilium, & viola nigra. Lege doctissimas Jani Cornarii adnotationes in caput vigesimum nonum, libri primi Macri. Quinetiam, Plinius loco jam citato, idipsum sic tradidit: Id quod purpureum est ex iis, comitialibus medetur, maxime pueris, in aqua potum. Ejusque rei, hæc adsignari potest ratio, quod cerebrum violæ fragrantia roboret, itaut, a pravis nocumentis minimum lædatur, & sic in epilepsiam non facile incidat. De violis plura Galenus lib. *6.* capite 150. de simpl. medic. facult. Rhazes lib. 3. ad Almans. cap. 21. Avicenna 2. Canon. cap. 726. & Mesues lib. 2. Section. 1. cap. 11. de simpl. purg.

CAP. LXV.

De Urtica.

AEgris dat somnum, vomitum quoque tollit, & usum.
Illius semen, colicis cum melle medetur,

Et tussim veterem curat, si sæpe bibatur.
Frigus pulmonis pellit, ventrisque tumorem.
Omnibus, & morbis, ea subvenit articulorum.

Hic septem recensentur facultates Urticæ.

AC PRIMA quidem quod somnum ægrotantibus accersat: Crassos (1) namque, & pituitosos humores, quibus natura gravata somno destituebatur, extenuat, incidit, & privatim expurgat.

¶ [1]. *Omnes functiones Corporis humani, tunc secundum naturam procedunt, quando humores, bona gaudent diathesi, & solidæ partes, neque rigiditate, neque flacciditate peccant. Statimac, lenta cacochimia se prodit, Corpus ponderosius fit, & omnes motus torpent, caput gravatur, & morbosus somnus invadit, cui, Apoplexia non raro succedit: Omnes Hydropici, vel etiam Leucophlegmatici, somnolenti fiunt; neque tamen perfecte dormiunt, dum gravi Ortepnœa laborant. Spiritus enim difficilis, & anhelosus, somnum avertit. Saltem inviti, continuo, nutant capite. Humores acres, fibras, & vasa irritando, somnum avertunt: Hinc Urticæ, dummodo continuo usu, hanc discrasiam emendare valeant, somnum adferunt; atque, quia humectante virtute pollent, etiam nervos tensos emolliant, qui placidæ quieti obstant.*

SECUNDA, quod vomitum, ſimulque uſum ejus tollat. Lentam enim, & frigidam materiam, qua ſtomachum imbuente, nauſea, ac vomitus plurimum ſuboriri ſolent, incidit, exſiccat, & diſſolvit (2).

TERTIA, quod colicis medeatur doloribus: nam extra hoc, quod craſſum, pituitoſumque hu-

---

¶ (2) *Validiſſima remedia attenuantia, vomitum ab humore lento, & glutinoſo, ſtomaci tunicis adhærente, enatum, nunquam, aut raro ſanare potuerunt, imo & aliquando repetita vomitoria, etiam activiora, fruſtra tentata fuerunt. Hinc clare liquet, quam fallax, & inutilis ſit ſpes, quæ urticæ his caſibus committitur; parcendum pariter illis, qui artis ignari, aliquorum morborum, qui ab organica mutatione, vel ab humorum inveterata diſcraſia, originem ducunt, per medicamenta inutilia, & nullius fere efficaciæ, curationem aggrediuntur. Quam arduum, & difficile ſit, humorum diſcraſiam emendare, ejus cauſam detegere, morbum curare, convenientibus auxiliis, abſque naturæ noxa, vix norunt, qui integrum vitæ decurſum in medica praxi conſumunt. Soli Agyrtæ, & vulgares homines, hæc nullius momenti remedia extollunt, & per ea ſalutem credulis pollicentur; ſed ut propriæ utilitati proſpicerent. Inter omnes virtutes, quas credulus Vulgus Urticæ tribuit, vix una tantum verificatur, veluti, vulneraria, & adſtringens, quæ non ſemper expectationi reſpondit.*

morem incidit, & extenuat, craſſos quoque, & flatulentos ſpiritus, qui exitum non habentes, colicos excitant cruciatus, diſcutit, & expellit.

QUARTA. quod veterem curet tuſſim; Craſſos enim, viſcoſoſque humores e pectore, pulmoneque educit: qua ratione, orthopnœæ quoque, & lateris doloribus prodeſt, & maxime quidem ſemen ejus cum melle delinctum, quemadmodum 2. Canon. cap. 725. in eum prope modum ſcribens Avicenna atteſtatur. Quando cum ptiſana, ſive aqua hordei, decocta bibitur, vitia pectoris extrahit, & folia ejus, cum aqua hordei decocta, thoracem a lentis, craſſiſque humoribus expurgant, ſed ſemen cum melle delinctum ad omnia efficacius eſt.


QUINTA, quod frigora pulmonis pellat: humores namque frigidos, ac pituoſos caliditate ſua incidens ſimul, & extenuans, ex pectore, pulmoneque, educit.

SEXTA, quod ventris tumorem diſcutiat, atque ſedet. Craſſos enim, ac flatulentos ſpiritus, quibus venter diſtentus in tumorem attollebatur, diſſipat, atque reſolvit.

SEPTIMA, quod omnibus articulorum doloribus, arthriditi nimirum, iſchiadi, & podagræ ſubveniat: præcipue quidem, ſi provenerint a lenta, craſſa, ac frigida materia: eam enim urtica, calefacit, incidit, & extenuat. Ad hæc, urtica, flatuoſum etiam quiddam obtinet, quo, & Venerem extimulat, & maxime, ubi cum paſſo, aut muſto, ſemen ejus bibitur. Eodem modo potum, & vulvæ ora patefacit, urinam ciet, re-

numque doloribus medetur. Ventrem modice ſubducit, ipſa duntaxat abſterſione, ac veluti titillatione, non purgatione crudum, ac pituitoſum humorem educens. Ducit, fæminis præterea menſes, foliorum urticæ decoctum, addita exigua myrrha, (3) potum. Cavendum tamen ne linguam œſophagumque lædat, nimium enim exurit, quod commode quidem fieri poterit, ſi poſt ſumptionem ejus, parum olei roſacei abſorbeatur. Eſt autem urtica cum ſemine ſuo, calida in principio tertii; ſicca vero in ſecund, licet ſemen, quam herba ipſa, paulo minore ſiccitate participet. Plura Dioſcor. lib. 4. cap. 79. Plinius lib. 11. cap. 13. Gal. lib. 6. de ſimpl. medic. facul. cap. 13. Paulus lib. 7. Rhazes lib. 3. ad Almanſ. cap. 28. & Avicenna loco citato.

¶ (3) *Cur Myrrhæ hæc virtus menagoga non eſt imputanda, quæ inter medicamenta aperientia ſatis præſtat. Neque hæc unica tantum facultas in ea viget: nam languenti ſtomaco, mirifice ſubvenit, digeſtionem, & adpetentiam excitat, humores attenuat, & ſolidas partes roborat, corruptionem impedit: Ideo mulieribus cloroticis ſatis utilis.*



CAP. LXVI.

De Hyssopo.

HYssopus, purgans herba est, e pectore phlegma,
Ad pulmonis opus, cum melle coquenda jugata.
Vultibus, eximium fertur, præstare colorem.

Hic agitur de hyssopi viribus: Quod quidem desiccat, & excalefacit ordine tertio; sed, & tenuium est partium. Pituitam manifesto experimento expurgat, facitque ad pituitosos, tum cerebri, tum nervorum affectus, quod non modo mundet, sed roboret quoque. Quin, & pectus, & pulmonem detergit, præsertim senibus, quorum, pectora, lenta, crassaque pituita referta sunt: quo fit, ut decoctum, cum ficis, aqua, melle, & ruta, potumque peripneumonicis, diuturnæ tussi, suspiriosis, a capite in subjectas partes distillationibus, & orthopnoicis auxilietur. (1) Asca-


¶ [1] *De Hyssopo equidem plura dicuntur, quam de effectu verificantur. In Catarrho, & Tussi ab humore lento, & tenaci convenire vi-*

rides, reliquosque interaneorum vermes, pari modo sumptum, enecat. Idem facit, si cum melle delingatur; nitri tamen addito momento. Decoctum, ex aceto mulso epotum, crassum humorem per alvum extrahit. Ad subducendam alvum, cum ficis viridibus detritis manditur; vehementiusque, addita iri, nasturtio, aut irione, dejicit. Mesues exhibet, cum jure, aut manna mistum, vel cum melle, aut uvis passis purgatis, vel scilla coctum. Cutis in corpore, colorem floridum efficit. Lieni, & aquæ intercutem, cum fico, nitroque, emplastri modo imponitur. Inflammationibus quoque, ex vino, illinitur. Cum fervente aqua impositum, sugillata discutit. In anginis cum ficuum decocto, optime gargarizatur. Decoctum cum aceto, dentium dolorem, collutione sedat. Hyssopi usus, inflationes auricularum, præsertim vaporis suffitu discutit. Cibi adpetentiam invitat, visum acuit, menses, & urinam ciet, & febrium horrores excutit. Vinum decoctionis ejus, uterum a super-

---

detur, quia viscositatem solvit, & expectorationem facilitat, quod ab aliis expectorantibus, vulgo etiam notis, melius obtinetur. Similiter quia lentos, & concretos humores attenuat, non repugnat, vasa oppleta & obstructa aliquando aperire posse; dummodo obstructio isthæc, partes organicas non læserit, aut altas non egerit radices, quo casu, etiam valentiora deobstruentia incassum adhibentur.

fluitatibus purgat, & abstergit. Plura Dioscorides lib. 3. cap. 27. Avicenna 2. Canon. cap. 365. & Mesues lib. 2. sect. 1. cap. 18. de medic. simpl. purgantibus.



CAP. LXVII.

De Chaerefolio.

APpositum, cancris, tritum cum melle, medetur.
Cum vino potum, lateris sedare dolorem
Sæpe solet, tritam si nectis desuper herbam,
Sæpe solet vomitum, ventremque tenere solutum.

Enumerantur hoc in loco tres facultates chærefolii. PRIMA, quæ tritum, & cum melle appositum, cancrum curet. [1] Est autem Can-



¶ (1) *Si quis scyrrhi naturam spectare voluerit, causam, durationem, & progressum, ab hoc thopico medicamine sanari posse, numquam suadebitur. Humor lentus, crassus simul, & acris, ad circulandum ineptus, ad partes glandulosas adpulsus, ad Gulam nempe, axillas, ad Inguina,*

cer tumor durus, melancholicus, inæqualis, rotundus, venosus, id est, venas habens in circuitu turgidas, & exaltatas, livescens, sive fuscus, & colore magis, quam inflammatione, nigricans: calidus; sed non adeo, ut inflammationes, subito accrescens, ægros maxime fatigans, & perpetuo fere dolore affligens, Græce καρκίνος, & καρκίνωμα dicitur. Hanc autem appellationem huic morbo indiderunt, tam Græci, quam Latini, a cancro aquatico animali, quoniam circa hunc, implentur, & intenduntur venæ, cancrorum pedibus, a glomere illo corporis descendentibus, persimiles. Nonnulli vero, inde sic nuncuparunt, quod difficillime, ab his partibus, quas obsede-

---

atque ad alia hujusmodi loca; ut ad hepar, lienem, mesenterium, uterum, vel ubi vasa ad instar glandularum, uti in Mammis mulierum, sunt convoluta, stasim efficit vix sensibilem, gradatim, absque doloris sensu, adolescentem, ex quo Tumor assurgit, mox scaber, durus inæqualis. Humor hic vasa distrahens, cum iisdem concrescens, donec disruptis omnibus, cancer evadit numquam sanabilis; continuo, ichorem erodentem fundens, qui aliquando vasa majora erodendo, sanguinem, ad mortem usque, effundit: Ideo, dum omnia valentiora resolventia spernit; imo aliquando ab eorum usu magis, magisque recrudescit, inflammatur, disrumpitur: repugnat aliter curari posse per topica; omni fere virtute destituta.

rit, evellatur; quemadmodum cancer, aquaticum animal. Hic enim, loco, quem ſemel apprehenderit, pertinaciter hæret. Adde, quod hic tumor, cancri animalis colorem repræſentat, nempe ſubnigrum. Plura de hoc Paulus lib. 4. cap. 26. & Joannes Tagaultius lib. 1. cap. 15. chirurg. inſtit.

SECUNDA, quod cum vino potum, lateris dolorem ſedet. Tormina quoque ventris mitigat. [2] Craſſas enim inflationes, unde dolores iſti proveniunt, diſcutit. Præterea ſtomachi, atque aliorum etiam viſcerum flatus diſſipat, obſtructioneſque tollit: ad quæ quidem omnia, vinum quoque, per ſe ſumptum, ſingulare eſt.


TERTIA, quod vomitus, alvique profluvia ſiſtat. Calefaciendi enim, & exſiccandi vi, materiam eorum diſcutit, atque conſumit, & maxime quidem, ſi a frigido, & pituitoſo ſucco oriantur. Urinam, & menſes ciet, lateris, renum, ac veſicæ dolores tollit cum melicrato exhibitum. Porro chærefolium, de quo hoc loco agitur, nulla alia herba eſt, quam quæ vulgo noſtrati *Kervel*, corrupta, ut apparet, ex chærefolio voce, appellatur Gallice autem Carfueil. Cæte-

---

¶ [2] *Hæc aliquando ab indigeſtione, & cruditate proveniunt; Ideo non repugnat, ſolummodo per Vinum ſtomaci momentum intendi, & facile curari; neque revera fruſtra chærefolio effectus hic tribuitur, in quo etiam diſcutiendi, & attenuandi facultas viget.*

rum medicamenta, quæ hic de chærofolio produntur, neque apud ullum alium authorem Græcum reperiuntur, sed ex Plinio illo recentiore, qui longe post Galeni tempora extitit omnia transcripta sunt. Nam is, hæc verba de ipso tradit: Chærephillon canceratis medetur, lateris dolores, ex vino mitigat. Quidam illud oleo incoctum ἀκόποις ad solvendam frigoris injuriam, miscuerunt. Ex aqua mulsa pituitam resolvit. Ex aceto, lumbricos, & tineas perimit, urinam ciet, menstrua pellit. Tritum cum cera, & axungia vetere, parotidas discutit. Lege doctissimi viri Jani Cornarii adnotationes in cap. 22. lib. 1. Macri. Ad hæc succus, sive stillatitius chærefolii liquor, potus cum carbonibus tiliæ, & lapide, ex cancrorum capitibus exempto, sanguinem ob casum, percussionem, vel contusionem in grumos concretum, certo experimento dissolvit, & renum calculos frangit (3).

¶ [3] *Litontbryptica quævis maximæ efficaciæ, hunc difficilem effectum nunquam, vel raro saltem assequuntur, non quia revera sua virtute destituantur, sed quia, lapidem in Vesica contentum, vel calculos in renibus, non, nisi post longissimum iter, & sub viribus pressoriis variarum machinarum, in corpore existentium, mutata, & aliorum humorum miscela, pervadunt. De Chærefolio eadem prævalet ratio: Verum quia sensibiliter alkali præstat, humores solvit, & diuresim ciet; & non repugnat, arenulas quoque, & calculos excutere posse, uti omnia diuretica.*



C A P. LXVIII.

De Enula campana.

Enula campana reddit præcordia sana.
Cum succo rutæ, succus, si sumitur ejus,
Affirmant ruptis, quod prosit, potio talis.

Hic duæ referuntur facultates herbæ, quam ἑλένιον Græci vocant, Latini Helenium, & Inulam, Barbari Enulam, Officinæ Enulam campanam, & Germanice, *Alant wortel*, Gallice, de *L'aulnée*, Hispanice, *Ala*.

PRIMA, quod curet, ac roboret præcordia: quo nomine, jam exta in homine intelligenda veniunt, nempe os ventriculi, membra, spiritus, & quæcunque cordi propinquiora sunt. Et hoc sane radice potissimum efficit. Ea enim calida, & sicca, atque odorata est, cum excrementitia humiditate, quapropter in eclegmatis, cum melle temperata, crassos, ac lentos humores, pectori, pulmonique infractos educit, tussi, ortopnϾque prodest. [1] Omnis iræ, doloris que oblivionem in-

¶ [1] *Ob vim roborandi, in hisce adfectionibus optimum est remedium; laxas nempe fibras, &*

ducit, cor exhilarat ac roborat. Ex ea vinum etiam conficitur, quod νεκταρίτης Græcis dicitur. Hoc contra ſtomachi, & pectoris vitia, & cordis ex humiditate, & frigiditate imbecillitatem efficax eſt, excrementa in venis, ſanguini permiſta, per menſes, ac urinas expellit. SECUNDA, quod ſuccus ejus cum rutæ ſucco permiſtus hernioſis, hoc eſt, ruptis, quibus inteſtina in ſcrotum devolvuntur, admodum opituletur, & maxime quidem ſi hernia ex flatuum multitudine evenerit. [2] Eos enim rutæ, atque

---

vaſa tendit, quæ dum fortius in contentos humores agunt, circulationem, & omnes excretiones intendunt. Hinc expectorationem, urinam, & fortaſſe perſpirationem promovet. Verum in hac virtute, non ita antecellit, ut valentioribus expectorantibus, apud Medicos noſtrates, jam notis, ſit prorſus anteponenda. Ea enim tempeſtate ſaluberrimæ Ipecacoanæ radicis, & Poligolæ virginianæ adhuc delitebat virtus, nunc jam ſatis nota, in morbis pectoris, tum acutis, tum chronicis, ad anacatarſin concitandam, & viſcoſitatem humoris incidendam, aptiſſima, continuis experimentis, comprobata.

¶ (2) *Non quia inteſtina in ſcrotum prolapſa, in propriam ſedem reponere valeat, quod abſque Chirurgi ſatis experti diligenti operatione, nullo modo aſſequi poteſt; ſed quia flatus expellit, ernioſis infeſtiſſimos, qui dolores, tormina, vomitus, aliaque pathemata adferre valent, cum inflammationis metu, ut in paſſione iliaca videre eſt.*


helenii ſuccus diſcutit. Radix præterea, helenii ſtomacho pravis ſuccis referto, utilis eſt in paſſo condita, obſtructioneſque jecoris, atque lienis tollit. Trita, potaque, ad cruentas excreationes ſingularis eſt, & ſerpentium morſibus medetur. Ruptis, ac convulſis omnibus confert. Folia ejus, ex vino cocta, utiliter illinuntur frigidis, ac diuturnis partium affectibus, ejuſmodi ſunt nonnullæ coxarum paſſiones quas ἰσχιάδας vocant, & exiguæ, aſſiduæque articulorum quorundam præ humiditate procidentiæ, ac luxationes. Plura Dioſcorides lib. 1. cap. 27. Galen. lib. 6. cap. 114. de ſimpl. med. facul. & Avicenna 2. Canon. cap. 240.



INDEX RERUM

QUÆ

In hoc secundo Tomo continentur; P. Paginam N. Notam demonstrat.



P. N.

